



Sammelbd

Aufs. Jhr

13 Alph. 13 Beginn



28. Q. D. B. V.  
שלום שלמה  
*Sive*

DISPUTATIO THEOLOGICA

*De*

# SALUTE REGIS SALOMONIS,

*Quam*

In Illustri Universitate Jenensi,

*Illustrissimis atq; Celsissimis Principibus ac Dominis,*

DN. FRIDERICO SENIORE, &

DN. BERNHARDO SENIORE,

Ducibus Saxon. Jul. Cliv, & Montium &c. Fratri-

bus Germanis; illo Rectore; hoc ExRectore

Magnificentissimis,

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Plurimum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi*

DN. CHRISTIANI CHEMNITII,

SS. Theol. Doctoris & Professoris Publici celeberrimi, Ec-

clesiæ item Jenens. Pastoris & Vicinarum Superintendentis vi-

gilantissimi; Præceptoris, Fautoris & Hospitis sui, ætatem

devenerandi,

*publicè ventilandam proposuit*

pridiè Calend. Martii

Anno M. DC. LV.

H. L. Q. C.

AUCTOR

M. JOHANNES PÆRGEN/ DITHMARSUS.

Recusa Anno M. DC. LVII.

---

JENÆ

Typis JOHANNIS NISII.



1774  
D. D. N.

DISSENTATIO THEOLOGICA

SALUTE REGIS  
SALOMONIS

DR. FRIDERICUS SENIORS &  
DR. BERNHARDUS SENIORS

Ducibus Saxon. Jul. Civ. & Montan. & Fran-  
cus Germanis; illo Regere; hoc Exorcizare

DR. CHRISTIANUS CHEMNITZ


22. Theol. Doctoris & Professoris Publici celeberrimi, Ec-  
clesiæ Saxon. Leod. Pallor. & Venerabilis Universitatis  
Leod. Praeceptoris, & Hospitalis Saxon. Leod.

M. JOHANNES GEORGIUS D. D. P. M. A. S. S.  
Recens. Anno M. DC. LXXV.

Typis JOHANNIS NISII







I. N. D. N. 7. C.

DISPUTATIO THEOLOGICA.

De

# SALUTE REGIS SALOMONIS.

TH. I.

**D**Aradoxa fortè nostra hæc videbitur  
Disputatio, quippe quâ non alicujus So-  
lonis & Herculis, sed Salomonis (at quanti  
viri) Salomonis inquam, pii & omnium,  
quos Sol unquam adspexit, Regum Sapi-  
entissimi atque gloriosissimi salus in du-  
bium vocetur. Verum utinam in illa sua pietate, quam  
Adolescens fovebat, perseverasset! utinam Sapiente di-  
gna semper egisset! modò non gloriæ suæ maculam tan-  
dem adpersisset! neque salus ejus jam in dubium vocare-  
tur, neque in controversiam veniret. Thalmudistar. qui-  
dem judicio graviter errant, etiâ qui Salomonem peccas-  
se dicunt, nedum qui prorsus de ejus salute dubitant; ita e-  
nim in כר האומר: מסכת שבת cap. 5. pronunciant: ראו  
בן ובני עלי ובני שמואל ודוד ושלמה חטאו אינו  
:טועה: *Omnis qui dicit Ruben & filios Eli & filios  
Samuelis & Davidem & Salomonem peccasse, is graviter er-  
rat.* Vid. Celeberr. Dn. Hacspan. de script. Judaic. usu  
c. 1. n. 16.

A

II. Ve-



II. Verùm quis non videt hosce homines errorem errare, muranâ Tartessiâ (ut ajunt) grandiorẽm. Profectò non stupenda sed detestanda hominum impudentia est, qui tam præfractè Sacrosanctæ Scripturæ contradicunt! Quid enim hæc? *Rex Salomoh*, inquit I. Reg. c. XI. v. 1. *adamavit mulieres alienigenas multas & filiam Paroh, Moabitidas, Ammonitidas, Edomeas, Sidonias, & Hittheas* v. 2. *de gentibus scil. quas dixerat Jehovah filiis Israel*, Exod. 34, 14. *Non ingrediemini ad eas & ipsa non ingredientur ad vos, siquidem inclinare facient cor vestrum post Deos suos; is Salomoh adhesit amore* v. 3. *& fuerunt ei uxores Reginae septingenta & concubina trecenta & declinare fecerunt mulieres ejus cor ejus* v. 4. *tempore senectutis post Deos alienos &c.* v. 5. *& abiit ipse post Asthoreth Deum Sidonior. & post Milchom abominationem Ammonitar.* v. 6. *Fecit itaque malum in oculis Jehova &c.* v. 7. 8. v. 9. *iratus est ergo Jehovah contra Selomoh, quòd declinasset cor ejus à Jehovah Deo Israelis &c.* Quid hic scriptura? encomiis Salomonem ornat, scilicet ejusmodi, quibus eadem aliàs insectatur flagitiosos. Undè emundioris (quod dicitur) naris R. *Don Isaac Abravanel*, Salomonem omninò peccasse ait, *comm.* in h. l. *בכמותן ובאיכותן ובאופן לקיחתן שהיה באהבה כי אם ענין עזה לה היה ענינו ענין האדם הנשוי אשר כי אם ענין: quod ad eò multas eas q̄ alienigenas duxerit & tam efflictim amarit; non aliorum maritorum more uxores suas maritali amplectentium amore, sed instar juvenis (Gen. 44. v. 30.) cujus anima ligata est in anima illius quam deperit.* Paria habet R. *David Kimchi* in h. l. *שתים רעות עשר בזה ארה שהרכו נשים ואפילו היו מישראל לא אסור לו להרבות כמו שכתוב ולה ירבה לו נשים ולה יסור לבנו בלשן*



שכן שהיו נכריות שהטו לבנו אחרי אלהים אחרים:

Duplex designavit peccatum in hoc quod usq; adeo multiplicavit uxores. Nam licet fuissent ex Israele, tamen ei interdicta erant, sicut dictum est: non multiplicet sibi uxores. Quanto vero magis pravaricatus est, quod alienigenas duxerit, quae ad idololatriam eum pellexerunt. Vid. Excellentiss. Dn. Joh. Frischmuth Ebr. & Grac. LL. in hac nostra P. P. ord. industrius & famigerabilis, Praceptor & Fautor meus observandus in המלך והסרת בחירת fivē de Rege eligendo & deponendo thes. 27.

III. Quamvis verò *Abravanel* Salomonem ipsum, met idola coluisse nolit (id quod & *Robertus Stephanus*, it. ex PP. *Irenaeus*, *Theodoretus*, *Procopius* &c. statuunt. Vid. *Joh. de Pineda Hispalensis* l. 7. de *Reb. Salom.* c. 9. tamen hoc diffiteri nequit, cum *Salomon* idololatriæ, quam uxores exercebant, obicem non poneret, sed quasque pro lubitu illi operam dare permetteret: נחשב אליו כאלו עברו  
ita Regi hoc imputari, perinde ac si ipse coluisset idola. Rectius verò alii & quidem plerique PP. *August.* *Hieron.* *Basil. Orig. &c.* asserunt eum revera Idola coluisse: siquidem id apertè S. Scriptura l. c. asserit, cui unice credendum est. Quid? quod nonnulli planè Magum fuisse *Salom.* velint; quippè idololatria & fornicatio superstitionem seu Magiam ut plurimum comitem habeat. Vir Cl. *Wilhel. Schickardus* hac de re in *Tarich Persico* p. 57. ita: Turca & informatores illor. *Judaei*, *Salomonem* quoque Magum fuisse volunt. Quod si naturalem seu physicum; facile assentiremur; hoc enim ex l. 1. *Reg.* c. 5. novimus. Quod verò damnata illius & incantatricis *Magie Salom.* insimulant, qui cum demonis familiare habuerit commercium, ut post *Judeos* facit *Alkuranus Sur.* 2, v. 98. & alibi; id ex hebraicis bibliis per-



ficuè probari posse vix credo; è Chaldais quidem (Targum  
 puta cobeletubi & alia multa sunt paradoxa) potest facilius,  
 &c. Josephus l. 8. antiq. c. 2. incantationes Salomonem insti-  
 tuisse ait, quibus agritudines soleant mitigari, &c. undè &  
 librum scripsisse traditur, qui inscribatur: דברי רפואה  
 של מלך: verba medicinalia Salomonis, cujus meminit  
 Kimchi 2. Reg. 20. & Georg. Cedrenus in compend. histor.  
 item alia, de quib. vid. Joh. de Pin. l. 3. c. ult. & l. 7. c. 12.  
 ubi itidem cum Del-Rio, Georg. Veneto &c. à Magia Salo-  
 monem haut abfuisse censet. Verùm sententiam potius  
 approbamus Joh. Henr. Hottingeri Prof. Tiguri, qui in the-  
 saur. Philol. p. 502. Salomonem hac quidem in re excusat &  
 maleferiatos quosdam agyras sapientis hujus regis autorita-  
 te nefariè abusos esse, ait, dum quicquid habuerint malarum  
 artium, Solomonis nomine commendarint. Addit: Piget hoc  
 loco referre, quæ ex veterum Hebraorum & Arabum scriptis  
 hanc in rem citari possent. Confer p. 533. ubi etiam Capnio  
 seu Reuchlinus Salomonem tuetur.

IV. Et certè nihil est necesse ut falsi criminis eum  
 insimulemus, vel scopis quasi peccata ejus converramus,  
 cum unica idololatria tantum sit scelus, ut si in eo ad fi-  
 nem usque perseveraverit, neque poenitentiam egerit, sa-  
 lutem consequi haut potuerit. Hinc jam est quæstio illa  
 à Piis, illustribus & doctis viris hucusque agitata; An scilicet  
Salomo tandem poenitentiam egerit, ac ita salvatus fue-  
rit, aut condemnatus? quæstio sanè omnium judicio dif-  
 ficilis, intricata, anceps, prolixa, ut nihil supra! sed & con-  
 trà utilisima. Quod si verò alicui curiosa etiam & pe-  
 riculosa? tum quia parum ad nos attinere videatur, an  
 damnatus an salvatus sit? tum quia Salvator noster seve-  
 re Luca 6. v. 37. dicat: nolite judicare & non judicabimini,

ne



ne condemneris & nos condemnabimini, absolvite & absol-  
vimini. Ei ad prius respond., omninò multum nobis  
conferre; ut deinceps patebit. Ad posterius autem scien-  
dum, dictum illud de temerario vel presumtuofo iudicio  
intelligendum esse. Vid. Pl. Rever. Dn. D. Waltherum in  
Harmon. Quarè importunum imò impium foret, (ait B. D.  
Brentius de simili quæstione) si præfractius iudicium DEI  
investigaremus; vult enim DEUS ut majestas ejus adoretur  
non investigetur; vult ut iudicia ejus occulta, vera iudice-  
mus, etiamsi nobis nihil minus videatur: tamen si reverenti-  
corde ejus causas præsertim eorum, quæ nobis in exemplum  
facta sunt exploremus, est quod dignetur nobis revelare!

V. Hac igitur pia ratione & nos adducti hanc rem  
cum Deo nobis sumsimò tractandam, non ut iudices sed  
testes & contemplatores. Mirum verò quàm vario & an-  
cipiti Marte, auctoritatum rationumque, veluti armo-  
rum præsidio, hic certetur & quàm non de sua omnium  
sed de unius hominis & quidem jam demortui salute  
disceptetur! Verùm utut dimicando desudent, sivè vin-  
cant sivè vincantur in controversia; utriusque partis res  
sunt in vado. Unius contra Salomonis causa agitur; At  
neque ea periclitatur; sivè enim hoc sivè illo modo acta  
jam atque iudicata est à supremo iudice, nostra tantum  
de illo sententia aut potius divinario quæritur. Sunt au-  
tem auctores in hac controversiâ & quæstione triplicis  
differentiæ. Quidam enim dum nemini displicere vo-  
lunt, nemini placent, atque ita hac de re iudicium suspen-  
dunt; adeò obscure & dubiè loquuntur, ut certam sen-  
tentiam ab illis non possis elicere; Quidam sententiam  
quidem ferunt, sed duriusculam; Reliqui verò omnia in-  
mitiorem partem interpretantur. De primis antè noran-



dum quàm ad eos progredimur, modò à Salomonis ad-  
versariis, modò à Patronis allegari cum magna testimo-  
nior. confusione. Undè meritò in iis examinandis ali-  
quid operæ ponendum esse monet Vir stupendæ lectio-  
nis *Joh. de Pine. in op. cit. l. 8. c. 1. sect. 1.* Quippè non statim,  
inquit, si quis Salomonem laudat, cum ejus patronis nume-  
randus (quod tamen pleriq; faciunt) neq; si quis propudiosam  
illius senectutem insectatur, adversariis assignandus. Ergò  
certa pro certis, dubia pro dubiis.

VI. *Primam* igitur quod attinet *classem*, ducit eam  
Presbyter Carthagin. *Tertullianus*, qui dum *tom. 3. ed. Pa-  
mel. l. 2. contra Marcio. c. 23.* ait: *Rejicitur Salomo, sed jam  
à mulieribus possessus & idolis Moabitarum & Sidoniorum  
mancipatus*; nihil aliud vult; ut ipse se explicat, quàm  
Deum pro presentibus meritis & rejicere & adlegere; nihil  
hic de æterna rejectione. Et *l. 5. c. 9. Salomo (audeo dicere)  
etiam quam in Deo habuit gloriam amisit, per mulieres in I-  
dololatriam usq; pertractus*; sermo est, non de æternæ bea-  
titudinis gloria, sed de gloriosa nominis fama; cui ve-  
ram illam & constantem Christi, veri Salomonis glori-  
am opponit, de qua dicitur *Pf. 72. v. 19. replebitur univer-  
sa terra ejus gloria.* *Tertull.* itaque ut pro *Salom.* non stat,  
ita neque contra *Salom.* àpertè facit.

VII. Sequitur Episc. Cæsareomont. *Basilius*, qui  
*epist. ad Chilon. de vita solitaria; tom. 4. ed. Basil. latin.* tam  
lubricus est, ut tenere cum vix possis. Inter exempla enim  
eorum, qui à pristina defecerunt justitia refert: *Mosen, pro-  
pter incredulitatem, terra promissa ingressu privatum, Nu-  
mer. 20. v. 12. & Gebasob avaritiam, Elisai familiaritate  
orbatus 4. Reg. 5. v. 27.; Salomonem post Sapientiam prola-  
psus & concidentem; Judam denique melioris vite rudi-*

men-



*mentis ad sortem deterrimam decidentem, Actor. 1. v. 18. Cui Salomonem adjunxerit, Mosi an Juda? incertum.*

VIII. Episc. Hippon. *Augustinus*, multis de *Salom.* salute malè sensisse, videtur; verum enim verò obscure cum locutum esse manifestè ostendemus. Quando enim *l. 22. contra Faustum c. 81. tom. 6. ed. Antwerp. de Salom.* scribit: *improbatus est à Deo & reprehensus & ad profundum idololatriæ lapsus & demersus est; vult quidem demersum, sed cum nunquam emeruisse ubi affirmat? Ità c. 88. ejusd. l. cum Davide Salom. comparans, longè dissimiles eos efficit; David (inquit) gravissimum iniquitatis vulnus pœnitentiæ humilitate sanavit. Salomonem autem vehementer arguit & condemnat sacra scriptura, nihilq; de pœnitentiæ ejus vel de indulgentiâ Dei erga illum omninò commemorat, sed hoc de annotatis vitiis dicitur; ut & illud, l. 3. de doctr. Christian. c. 21. tom. 3. In Davide, immoderata libidinis non permansio sed transitus fuit; propterea etiam ab arguente Propheta ille illicitus appetitus hospes vocatus est: at verò in filio ejus Salomone non quasi hospes transitum habuit, sed regnum ista libido possedit. Sint ergò dissimiles; sit utriusque peccati ratio dissimilis; nihilominus sententia Augustini stat; illius salutem quidè esse certam: hujus autem dubiam & incertam; illum quidem sceleris statim pœnituisse: hunc verò longius tantummodo in eo perstitisse. Sed quid ad hoc, *l. 17. de Civ. Dei c. 20. tom. 5. Bonis (Salomo) initiis malos exitus habuit? Dicimus & hoc verè ab August. dici. Adolescentiæ enim optimæ exitus fuit senectus illa turpissima. De senectutis autem adeoque totius vitæ exitu Augustinus tacet. Id denique nos videtur urgere, quod præfat. in Psal. 126. tom. 8. (si illi in Psalmos commentarii August. sunt; vid. B. Gerb. in**

*Patro-*



*Patrolog.*) scribit: *Salomon reprobatus est à DEO.* Verùm addit ipse August. confestim, benigniorem suorum verborum expositionem, se scil. non de æterna reprobatione, sed de ea, quam quodlibet mortiferum meretur peccatum, loqui. Subjicit enim Salomonem *cecidisse, peccasse*; atque exempla duplicis peccati adducit, alterius quidem humani, quod per subsequentem pœnitentiam deletum sit; alterius autem diabolici cum obstinatione conjuncti: *Quid mirum quod in populo Dei cecidit Salomo? In paradiso non cecidit Adam? Non cecidit Angelus de cælo & Diabolus factus est?* Acutissimus enim Augustin. rem ancipitem ancipiti etiam exemplo incertam esse demonstrare voluit, nec enim patet, cui E u m associet?

IX. Archiep. Constantinop. *Chrysostomus*, quamvis uno atque altero loco obscurè videatur loqui, ut *Homil. 23. super 2. ad Corinth. c. 11. edit. Veron.* Καίτοι σοφώτερον ἔκεινς (Salomone) εἰδὲς γέρονε καὶ πᾶσαν ἡ τῶν ἄλλων ἐπὶ ληθῆν δρετῶν. Αλλ' ὁμως ὑπὸ τῆς (concupiscentiâ carnis de qua sermo est) ἔτω σφοδρῶς ἐάλω, ὡς καὶ ἐν τοῖς καιροῖς δέξαται τῶν πονηρῶν. καὶ ὁμοῦ πατὴρ (David) ἀνέστη καὶ ἀνεκαλέσθη τῶν ἡτῶν καὶ πάλιν ἐσεφανώθη. ἔτ' ἡ (Fil. Sal.) εἰδὲν τοῖς ἐπιδείξατο. Quamvis, inquam, hic locus cum aliis, obscurus videatur mitioremque admittere possit expositionem; nihilominus præter illos, duo adhuc sunt loci, quorum prior Salom. damnat, posterior eum excusat; & quidem tam clari, ut qui aliter eos exponere velit, nugari se velle, ostendat. Ille habetur *rom. 5. ed. Paris. serm. de pœnitent. qui incipit, provida mente &c.* *Quis sceleratior Manasse? & hunc pœnitentia revocavit. Pœnituit Deum quod Saulem Regem elegerit: quapropter? nisi quia idem pœnitentiam ignoravit. Quis sapientior Salomone? sed nesciens pœni-*



penitentiam perdidit gratiam: & ob hoc dictum est; conce-  
pit peccator delicti dolorem: & si non penituerit, parit sibi  
mortem. Hic habetur itidem tom. 5. serm. cont. Concubinar.  
Dicite aliquem qui hanc servitutem tulerit aliquando & de-  
inde liberatus ad libertatem bonam recurrerit. Etenim Sa-  
lomon cum secularium rerum concupiscentiam teneretur, ma-  
gnas eas & admirandas putabat; omnem, ut ita dicam, ob-  
lectationis & refrigerii viam sectando; at ubi ad se reversus  
& quasi ex umbrosa abyssu ad lumen vera sapientia respicere  
valuit, tunc sublimem illam & caelis dignam emisit vocem;  
vanitas vanitatum & omnia vanitas. Itanè verò B. Pa-  
ter sibi ipsi contradicit? minimè fanè; sed de re parum si-  
bi explorata, utrinque controversa atque dubia, dubiam  
quoque fert sententiam.

X. Archiep. Alexandri. *Cyrillus*, itidem animo flu-  
ctuat, cum l. VII. contra *Julia*. tom. 2. ed. Paris. ait: *Salo-*  
*monem neq̄ cum S. Prophetis, neq̄ cum Apostolis neq̄ Evan-*  
*gelistis numerare consuevimus.* Licet enim de catalogo  
illorum sanctissimorum (de quorum salute nemo un-  
quam dubitavit) Salomo non sit; tamen hinc planè non  
esse sanctum, haut sequitur. Porro de Salom. B. Pater:  
*Ubi ad finem & occasum vitæ venit, defecit simul atas roboris*  
*& mentis: deinde laqueum illi per mulieres paravit Satanæ,*  
*& à recto abduxit.* Quod finem & occasum vitæ dicit, pro-  
cul dubio non intelligit, Salom. in peccatis decessisse, sed  
ultimo vitæ tempore, senectute scil. animum illius à mu-  
lieribus esse corruptum.

XI. Episc. Nyssenus *Gregorius*, quanquam *Homil. in*  
*Ecclesiasten 2. edit. Paris.* scribat, benevolo ut apparet a-  
nimo: *Salomo ipsa experientiam didicit, quod istorum in qui-*  
*bus ponitur studium, finis sit vanitas, & quod voluptas homi-*

B

num



num sit frustratio : tamen Homil. 3. dubitat, an certo consilio  
quæ non facta sunt, tanquam facta prosequatur Salomo & re-  
prehendat ; ut qui ea sit expertus, nec ne ; quanquam ut di-  
ximus benevolo erga Salom. sit affectu.

XII. Episc. Hispalensis *Isidorus*, lib. de vita & morte  
*Sanctor.* (si *Isidori* est ; vide *Cocum* in censura P.P.) Sanctis  
quidem *Salomonem* quoque annumerat (unde *Tostatus* &  
alii, *Isid.* benè de salute Salom. sensisse autumant) verùm  
ipsa verba de dubiâ Auctoris mente restantur : *Salomon*,  
inquit, post miram virtutum gloriam amore depravatus fœ-  
mineo, acceptam sapientiam perdidit, & in profundum ido-  
latria flendâ ruinâ demersit. An verò emerferit, non ex-  
ponit *Isidorus*.

XIII. Abbas *Clarevall. Bernhardus*, tom. 2. edit. Pa-  
ris. l. 2. de *Consid. ad Eugen.* c. 12. ad cò anceps est, ut quo-  
modo eum apprehendere velis, nescias. Inquit enim :  
*Sapiens David, sapiens Salomon fuit, sed blandientibus ni-  
mis rebus secundis, alter ex parte, alter ex toto desipuit. Quid  
est illud, ex toto ? an desipuisse & nunquam resipuisse ?  
fortasse hæc mens est Bernh. ; sed potest & hæc esse, ut vi-  
del. cum David ex parte, i. e. carnis concupiscentia per  
mulierem desipuerit, non item per aliam stultitiæ par-  
tem quæ est idololatria : Salomon vero per utramque  
i. e. libidinem & idololatriam desipuerit. Abbas Gallia.  
Hugo de S. Viçtore, Homil. 5. in Ecclesiast, tom. 1. Paris. uti-  
mam, exclamat, tam certum de pœnitentia Salom., quàm  
non dubium de culpa testimonium haberemus ! nunc autem  
dubia pro certis affirmare non possumus.*

XIV. Flav. *Josephus* l. 8. *Antiquit.* c. 3. ed. Genevens.  
severè quidem sed obscurè de Salom. loquitur : ἡρόδοτος  
& πάντων βασιλέων ἐνδοξώτατος & θεοφιλέστατος & φρονίος  
καί.



καὶ πλεῖστα διενεγκῶν τῶν πρὸ αὐτῶν τῶν Ἑβραίων ἀρχῶν ἐχρησθέντων  
 οὐκ ἐπέμεινε τέτοις ἀγχοῖς τελευτῆς. ἀλλὰ κατὰ τὴν τῶν πα-  
 τριῶν ἐπιστομῶν φυλακῶν, οὐκ εἰς ὅμοιον, οἷς περιεργήκαμεν, αὐτῶν  
 πέλας κατέσπευεν. Et paulo post: κάλλιστον δὲ ἔχων κὲ οἰκείον  
 ᾧ δίδειγμα τῆς ἀρετῆς, πῶν πατέρα, καὶ τῶν ἐκείνης δόξαν, ἐν  
 αὐτῶν σωβέθη κατὰ τὴν ἀρετῆν πρὸς τὸν θεὸν εὐσεβείαν, ἡ μιση-  
 σίμων αὐτῶν καὶ ταῦτα δις αὐτῶν τῶν θεῶν κατὰ τῆς ὑπὸ φανέν-  
 τος καὶ πῶν πατέρα μιμείδων παραινέσαντες, ἀκλεῶς ἀπέθανεν.  
 Licet verò nonnulli Josephum aliis, benè de poenitentia  
 Salom. sentientibus Hebræis, annumerent; quippe qui  
 judaicarum traditionum fuerit tenacissimus & rem illam  
 de poenitentia Salom., quia parum ad gentiles attineret,  
 neglexerit: attamen tantum abest ut hoc Josephi testi-  
 monium pro Salom., ut potius contra Salom. facere vi-  
 datur. Quarè, si quid Josephus pro religione à Salo-  
 mone instaurata habuisset, utique adversus peregrinos  
 gentilium ritus attulisset, ne ullam τῶν ἑξω (ut Græci P.P.  
 paganos vocant) calumniandi atque exultandi præberet  
 ansam, veluti *Apostata Juliano*, qui (ut *Cyrellus l. c.* habet)  
*solus Salomonis oblectabatur lapsu, dicens, illum Græcorum  
 serviisse diis.*

XV. *Suidas* similiter nonnullis Salomonis parti-  
 bus patrocinari videtur; sed obscurè sanè. De regno  
 enim ob Salom. peccata distracto agens, inquit: *Potenti-  
 bus valida inquisitio imminet h. e. Deus à perfectis exactis-  
 sima quæq; postulat: Aliis hominibus graviter delinquenti-  
 bus parcit; sanctis verò non eandem dat veniam.* Ubi non  
 facilè agnoscas, an sanctum vocet Salom. & graui illo la-  
 cerati regni supplicio peccatū eluisse; an verò tanto sup-  
 plicio scelus suum nunquam dicat delevisse. Tum etiam  
*Suid.* utitur dicto illo *Sapient. 6. v. 9. Potentibus vehemens*



*instat inquisitio, quod an de extremi iudicii examine, an de temporali accipiatur à Suida, & in eo Sapient. loco accipi debeat, incertum.*

XVI. Vidimus ità Veterum sententias, jam recentiorum videbimus. *Cancellar. Paris. Gerson. p. 4. Alphab. 69. lit. 2. in serm. contrà Romantium de Rosa, ait; de pœnitentia Salom. Magni dubitant Doctores.* Dionys. Carthusianus in l. 2. Reg. c. 7. ubi in contrarias partes hanc rem verfasset, addit: *Veruntamen hac de re nil diffinire audeo & quod sinè periculo ignoratur, divino committo iudicio.* Joh. Picus Mirandula & Concordia Comes, in sua Apologia quest. 7. quæ est de Salute Origenis, citans fasciculum temporum in quo exstet: *Samsonis, Salomonis, Trajani & Origenis salutem sinè periculo ab Ecclesia nesciri;* addit, *ideo omninò divino iudicio relinquendam esse.* Nicol. Lyranus in 2. Re. 7. v. 25. *miseriordia mea non recedet ab eo &c.* Ex hoc dicunt aliqui, inquit, *quòd Salomon licet peccaverit graviter, ut dictum est: tamen in fine pœnituit & sic est salvatus.* Et hoc etiam dicit quedam glossa Hebraica super Ecclesiasten c. 11. *Sed hoc mihi est valdè dubium, sicut diffusius tractavi in questione de quolibet super hoc mihi proposita.* Hanc Joh. de Pin. non vidit, ideoque vix exstare putat. Idem hunc Autorem secundæ annumerat classi sed ut ait gratis. Unde potiori iure huc à nobis est relatus. Petrus Galatinus sive Porcbetus (cujus compilator est Galati. vid. Possivi. in appar. S.) de Arca Cathol. verit. l. 3. c. 24. edit. 1518. obscurus est, & indirectè huc videtur respicere, quando Salomonem dicit *ad medendum propriis peccatis valdè imparrem fuisse, si parumper ejus opera considerentur I. Reg. c. XI. it. manus quæ lutum tenent sicut nec sordes proprias: ita nec alienas tergere valere;* id quod idè dicit, quia illud quod Davi-



Davidi de Salomone dictum erat: *natus est filius Tibi* i. e. ut in **תהליך מררש** exponitur: *natus est tibi in medicinam peccatorum tuorum*; Salomoni haut competere putat, sed Christo, vero Salomoni.

XVII. Nostri *Lutheri* animus idem qui Chryso-  
sti erga Salom. fuisse videtur. Nam *annot. in c. 1. Matthaei,*  
*20. 4. lat.* cum dixisset *Christum in sua genealogia non respu-*  
*ere peccatores sed pœnitentes*; veruntamen, subjicit, ut ni-  
hilominus *Deus significaret se odisse adulteria, noluit lineam*  
*sua generationis per Salomonem sed per Nathan fratrem ejus*  
*duci. Ità simul est consolatio, quòd peccatores Christus non*  
*dedignatur suos Patres & Majores; & tamen non dignatur*  
*peccatores perseverantes. Peccasse non damnat; non pœnite-*  
*re, hoc damnat*; Quanquam itaque hîc Salomonem da-  
mnare videatur; tamen aliquando super coenam inter-  
rogatus, numne quid de Salom. resipiscentia in S. literis  
habeatur? respondisse fertur: *Nein. Aber der Spruch*  
*stünde darin von ihme; quod obdormierit cum patribus*  
*suis. Darumb hielte ers dafür/ daß er were selig worden.*  
*Denn diß Wort bringe es mit sich. Denn von Absalom*  
*und Joab stunde nichts geschrieben. Vid. Colloq. Conviv.*  
*cap. 35.*

XVIII. Flacius *Illyricus in Clavi, voce ODI: Quae-*  
*dam opera ac homines in hujus vite disciplina justos probat*  
*Deus, quos in altera vita aut ad alteram vitam injustos pro-*  
*nunciat & damnat. Sic Salomo est dilectus Deo & ab eo in-*  
*numeris bonis ornatus quod ad hanc vitam attinet: de alte-*  
*râ dubium est. D. Joh. Brentius in c. XI. l. 1. Regum. v. 9. An*  
*Solomo hoc verbo (domini scilicet increpantis ac comminan-*  
*tis) admonitus resipuerit, incertum est. D. Petrus Piscator*  
*in hac nostrâ Salanâ olim Prof. P. comment. in for. Concor.*



d. 2. postquam ex B. Luth. dixerat th. 1. Ex optimis pessime  
sunt multoties: ex Angelo Lucis Angelus tenebrarum; ex fi-  
lius Dei, Diaboli: ex praestantissimis Doctoribus pessimi here-  
tici; Subjungit th. 2. Salomonem omnium mortalium sapi-  
entissimum, cum Deo ipso semel atq; iterum locutum esse spiri-  
tuq; prophetico libb. utilissimos conscripsisse & exarasse con-  
stat, qui in hunc usque diem nos erudiunt & pro oraculis me-  
re divinis jure habentur: & tamen eum fœdis libidinib. im-  
plicatum & deditum, idololatram tandem & Apostatam fa-  
ctum esse turpissimum, s. pagina attestatur, adeo ut de sem-  
piterna ejus salute haut immerito dubitetur. D. Balth.  
Meisnerus. in Anthropol. s. disp. 19. th. 17. cum scripsisset  
Salomon. horribiliter lapsus esse; calamum inhibet. Se-  
verè loquitur D. Hülsemannus in de restitut. phras. B. O. sunt  
necess. ad sal. instructione p. 40. Et D. Cramerus in not. 1.  
Reg. c. 11. v. 7. Sic D. Georg. Calixtus in nupera dissertat. de  
Pactis qua Deus cum hominibus iniit, thes. XCVI. de salute,  
inquit, Salom. res admodum incerta est. D. Cunr. Dieteri-  
cus, Homil. I. in Ecclesiast. problema esse inquit, quod si-  
nè temeritate, & adstrui & negari possit. D. Micrælius in  
histor. Eccles. sententiam suam supprimit. Scickardus l. c.  
quod si quis admittere vult (Salom. sc. fuisse Magum) ita  
est accipiendum, ut inter grandia illius degeneris Regis pec-  
cata referatur, quibus reprobationem à justo Deo meruerit.  
Qualem reprobat. æternamne an temporalem voluerit,  
non liquet.

XIX. P. Martyr. Prof. Tigurinus comm. in I. Reg. p.  
93. Hac in re tam obscura & incerta quid constituam non ha-  
beo; & id mihi quam maximè probatur, ut eas res quas citra  
salutis periculum ignoramus, Deo committamus definiendas.  
Hoc tamen affirmare ausim quantum ex divinis literis colli-  
gitur



gitur de eo nil boni nos posse divinare. Nam inclinant potius in ejus damnationem, quam salutem. Sed tamen fieri potuit ut DEUS extremo vite momento eum sit misericordia sua complexus. Conr. Pellicanus itidem Prof. Tig. in III. Reg. c. 11. v. 14. Suscitavit Jehova adversarium ipsi Salomob Haddad Edomeum &c. Non diu (ait) distulit Deus justam vindictam us vel hoc solo judicio sperari possit Salus anima Salom. post hanc vitam, quia in hac vita adversitates pertulerit domino inferente: alioqui de pœnitentia tam in verbo quam facto illius, non constat. Quam si legitimam habuisset, non obmisisset vel testamento edito excelsa idolorum, quæ ipse instituerat contra DEUM demoliri, vel moriturus, vel post obitum. Ludov. Lavaterus Prof. quoque Tig. comment. in Proverb. c. 1. Firmiter ex 3. literis colligi non potest, an imminente hora fatali Salom. serio sceleris pœnituerit inque fide seminis promissi servatus, æterna jam cum electis felicitate fruatur. Dan. Chamier Panstrat. t. 3. l. 13. c. 21. §. 22. cum ex Bellarm. sibi objecisset præter alios sanctos etiam Salomonem à gratia excidisse, ait: non videtur verosimile Salomonem in iis fuisse, qui reprobi fuerunt & prorsus exciderint à gratia. Sed sanè relinquatur id nunc quidem in medio.

XX. Cornel. Jansenius Episc. Gandavens. in comment. Proverb. c. 30. v. 2. Stultissimus sum &c. Intelligent quidam, Salomonem hæc dicere postquam in idololatriam lapsus fuisset & ab ea jam resipuisset, ut sint verba agnoscentis suam in quam prius inciderat stultitiam. Sed ut sunt hæc incerta: ita parum cum ipsis verbis conveniunt. Sebast. Baradius Olysiponensis l. 5. Concor. c. 6. Crimina Salomonis certa sunt, pœnitentia incerta: si crimina certa ac probata sequeremur, sententia quoque esset certa scil. esse damnatum: quia verò non crimina certa sed pœnitentiam sequimur in-

certano



*certam, incerta quoque & dubia nostra est sententia. Jacobus Pamelius Theolog. Lova. annot. in Tertull. l. cit. litem hanc supremo arbitro; sicuti & Franciscus Fevardentius Theol. Paris. in append. Alphonsi à Castro adversus Hares. l. 1. diatribâ de Salute Salom. eidem aequissimo viventium & mortuorum judici, Deo dirimendam relinquunt. Casp. Sanctus Centum puteolanus comm. in 3. Reg. c. 11. ita vacillat ut ubi pedem figat nesciat. Pariter & Torniellus An. XXXV. etat. quinta, Annal. vid. Johan. de Pin. l. c. & Salinus in annalibus.*

XXI. Et hi sunt, quibus tutius visum fuit, difficillimâ hac de re tacere; Academicorum more sententiam suam occultare, atque Arcopagitarum illud, NON LIQUET, ingeminare, quàm certi quid definire; ut scilicet divinæ providentiæ, quæ hanc rem nobis voluit occultam esse, partes agere videantur. Deindè ut nos admonent ne vel temeritate vel imprudentiâ feramur in id cuius postea nos poeniteat; *ne (ut Prosper ait) posteri, hujus vitæ felicitate turbati, Christum qui aeterna suorum felicitas est, deseramus; sed cum timore atque tremore nostram ipsorummet salutem conficiamus, Philip. 2. 12. Severè hinc Carthusianus l. c. Non simus curiosi de hac re inquirenda, sed tanti viri lapsu pensato, vereamur occulta Dei judicia, neq; de sua scientia aut sapientia quis presumat, sed magis formidet; sciens quod verisimè dicat scriptura: servus qui voluntatem Domini scit neq; tamen eam facit, cædetur multis & cui plus datum est, plus requiretur ab eo. Et Pellicanus l. c. v. 43. dormivit &c. non additur, inquit, plenus dierum, nec in senectute bona. Statum salutis suæ vel damnationis non homines dijudicare vel definire possunt, sed Domino stant vel cadunt creatura suæ.*

*ad*



ad eius beneplacitum, qui unicuique distribuet secundum fidem  
& opera quae praecepit. Caeterum iisdem ferè nituntur fun-  
damentis, quibus subsequens classis, ut videbimus, fulci-  
tur. O miserum verò & infelicem, de cuius salute certant  
& adhuc sub iudice lis est!

XXII. Sed miserrimum & infelicissimum de cuius  
salute non solum certant, verum lis quoque ita à iudice  
deciditur, ut reus causâ cadat! Utrumque eheu! experi-  
tur Salomo; & hoc non in uno iudice. Primam fert sen-  
tentiam, *Episc. Carthagin. Cyprianus*, qui utut à suo inter-  
prete *Pamelio* in dubitantium referatur numerum, ta-  
men, ut ingenuè fateamur, huc esse referendum ipsa  
verba docebunt. *Lib. enim de unitate Eccles. t. 2. ed. Ant-*  
*verp.* ita loquitur: *Qui in ipsis sibi delictis placent & ex-*  
*tra Ecclesiam ( sine poenitentia ) peccant, quis quis est ille*  
*Confessor, Salomone major est aut melior, aut carior non est;*  
*qui tamen quamdiu in viis Domini ambulavit, tamdiu gra-*  
*tiam quam de Domino fuerat consecutus, obtinuit; postquam*  
*reliquit Domini viam, perdidit & gratiam Domini, ut scri-*  
*ptum est: & excitavit Dominus Satan ipsi Salomoni; & id-*  
*eò scriptum est; tene quod habes, ne alius coronam tuam ac-*  
*cipiat; quod utique Dominus non minaretur nisi quia rece-*  
*dente justitia, recedat necesse est corona, cum scriptum sit:*  
*qui perseveraverit usque ad finem, salvabitur.* Quid quæso  
claritius? Confer *Epist. ejus septimam, 20. 1.* ubi *Salomonem*  
parem facit *Sauli*, quem ferè nemo dubitat damnatum  
esse. Vide tamen de Hebræis, *Galati. l. 6. c. 8.*

XXIII. *Papa Gregorius M.* aliis quidem obscurus,  
verum accuratè perpendenti perspicuus erit *l. 2. Moral. c.*  
*2.* ubi ex nocturni temporis circumstantiâ, æternæ da-  
mnationis noctem in *Juda*, divite avaro, *Salomone* &

C

Sodo-



Sodomitis, disertis verbis colligit. Dicit enim; à qualitate temporis, fixis exprimitur actionis. Sicut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte Judas exiisse perhibetur, cum egrediente illo, ab Evangelista dicitur: erat autem nox. Hinc enim & iniquo diviti dicitur: Hac nocte repetent animam tuam abs te. Anima quippe qua ad tenebras ducitur, non in die repeti sed in nocte, memoratur. Hinc Salomo qui sapientiam, non perseveraturus accepit, in somnis hanc & nocte accepisse describitur. Hinc est, quod Angeli ad Abraham meredie veniunt; punituri autem Sodomam ad eam vespere venisse memorantur.

XXIV. Apertè Episc. Rhegiens. Prosper, nullà circūtionē utens, par. 2. de predict. & promiss. Dei c. 27. Salomon elatus in Senio, fornicatus mente & corpore, Domino ipsum deserente, malè obiit. Cyria Episc. Theodoretus, ut ut alibi dubitet, tamen in Epist. ad Rom. c. XI. v. 29. to. 2. edit. Colon. ita scribit: Saul gratiam Spiritualem percepit & ab ea postea desertus est; quia etiam similiter Salomon, qui pacem per benignitatem divinam affecutus est, post transgressionem gratia privatus est. Porro etiam Judæi qui prophetas, eorum curam gerentes perpetuò habuerunt, ea cura in presentia privati sunt. Hic quidem expressis verbis Salomonem non damnat; nihilominus idem de eo, quod de Saule & incredulis Judæis, pronunciat.

XXV. Venerabilis Beda Anglia Presbyter. to. 8. ed. Basil. q. in libb. Reg. q. 29. locum, ubi Josias excelsa à Salomone extructa evertisse dicitur. 3. R. c. 23., enucleans exclamat: Hoc nī fallor palam ostenditur (quod utinam non ostendatur!) quia videl. Salomo de admissa idololatria scelere nunquam perfectè pœnituit. Nam si fructus pœnitentiæ dignos faceret, satageret ante omnia, ut idola qua edificaverat tollerem.



lerentur. Idem Episc. Lugdun. Eucherius, in 4. Reg. 23. five quisquis auctor ille est comment. in libb. Reg. vid. B. Gerb. l. c. Riv. l. c. Idem quoque Glossa Ordinaria. (cujus Auctor censetur Strabus Fuldensis) in 2. cap. Esaiæ v. 18.

XXVI. Gothor. Episc. Hermias Sozomenus in histor. Eccles., ed. Paris, epist. ad Theodosium; quem cum Salom. conferens, pietate Salomoni palmam præripere judicat: μάλλον καί κείνους (Salomone) πλεονεκτεῖς ταῖς δρεταῖς. ὁ μὲν γὰρ (Salomo) δὲ λ. ἡρόδω τῶν ἡδονῶν, ἔ μέρει τίλκε τὴν Διόσκειαν διεφύλαξε, τὴν αἰτίαν τῶν ἀγαθῶν καὶ τῆς σοφίας αὐτῶν ἡρόδω. Archiepisc. Viennens. Ado in Chron. etat. 4. sub finem: Salomo, inquit, malè obiisse videtur.

XXVII. Ex recentioribus sunt Doctor subtilis, Joh. Duns, Scotus quem simpliciter Salomonem damnasse ait, Luth. l. c. in Colloq. Episc. Abulens. Tostatus, qui in 2. Reg. 7. q. 13. ait: quanquam S. Script. non dicat aperte an Salomo damnatus fuerit, satis constanter asserti potest, quòd fuerit damnatus. Et in fine quaest. quamquam problema neutrum è tamen certissimè asserti potest Salomonem non pœnituisse. Matthias Thoring. in Replica ad Burgensem l. 2. Reg. c. 7. verosimilius putat Salom. damnatum esse, ex eo quòd posterè ejus non sint domus fidelis, uti fore dicantur v. 16. Cardinalis Rober. Bellarminus l. 1. de V. D. c. 5. probabiliorem, inquit, semper existimavi sententiam S. Augustini in Ps. 126. dicentis: Salomo à Deo reprobatus est; in æternum scil. ut putat Bellarm. Cornelius Cornelii à Lapide, comm. quidem, in 17. v. 17. Deuter. ubi Regi multiplicare uxores it. aurum & argentum; interdicitur, ait; in hoc & peccasse Salomonem; cui ipse confiteatur Ecclesiast. 2. v. 8. & 11. nihilominus in v. præcedentem 16. ubi à Rege equorum multiplicatio arcetur, scribit: peccavit hic Salomo; undè multi & me-



ritò metuunt Saluti Salomonis, putantq̃ eum damnatum esse. Videtur enim Deus terrenam ei concessisse gloriam, ut priva-  
ret eum cœlesti & aterna. Notent hoc Reges & Principes. Suffragantur hisce *Joh. Capistranus*, l. de aucto. Papa & *Maldonatus*, comm. in *Matth.* 1. num. 8. dicens: pejus fecisse Salomonem quàm *Ahab*; qui etsi malus, tamen peccati egerit pœnitentiam. 3. Reg. 21. 29. Quæ verba (teste *Pineda*) non nemo negligentius legens *Salom.* putavit poenituisse juxta *Maldon.* cùm tamen contrarium loquantur. It. *Martinus Martinez Cantapetrensis* l. 10. hypotysewn reg. 25. *Andr. Vega Prof. Salmant.* pro concil. *Trid.* de justific. l. 12. c. 2. *Bened. Pererius* comm. in epist. ad *Rom.* c. 8. disp. 27. & *Johan. Cognatus de prosperit. & exit. Salomonis* c. 18. vid. *Salia. l. c.* & *Johan. de Pin. l. c. sect. 3.* qui etiam de postremo, *Cognato* scil., in proleg. ad lect. refert, sibi ejus legendi copiam haut potuisse fieri; neq̃ valdè avere; non quòd virum doctum vel sola auditione notum non amet, sed quòd acceperit illum in unicam *Salomonis* damnationem persuadendam totum incumbere.

XXVIII. Et hi sunt, qui non tàm odio personæ quàm justissimo flagitiorum ab eâ commissorum zelo commoti, duriorẽ pronunciarunt sententiam. Admonendi hinc sunt (severissimè ait *Eucherius*) quibus hoc seculum prosperatur, qui à nullis adversitatibus hujus mundi feriuntur; quia *Salomo* post acceptam sapientiam usq̃ ad idololatriam cecidisse describitur, quia nihil in hoc mundo, priusquam eaderet, adversitatis habuisse memoratur; sed concessa sapientia eum funditus deseruit, eò quod eum nulla saltem minima tribulationis disciplina custodivit, nisi postquam Deum deseruit & à se Deum desertum esse cognovit. Inprimis autem dicti Autores, argumentis ut non paucis, ita certè



certè neque levibus convicti sunt, ut aliter pronunciare  
haut voluerint. Producemus præcipua & quidem bonâ  
fide, *ἀνδρα παρθένον*.

XXIX. *Primum* itaque *argum.* quo aciem ador-  
nant, & ceu ariete primos faciunt impetus, est; *Salomo-*  
*nem poenituisse, nusquam in S. literis legi.* Cùm enim pec-  
cata ejus *ἀνελεῖσθαι* recensentur atque gravissimè in script.  
amplificentur: poenitentia tamen ejus nulla, vel levissi-  
ma fit mentio. Quod *argum.* quamvis *negativum* & ita  
infirmius sit; tamen sat adhuc habere virium, nemo nisi  
Scripturarum ignarus negabit. Solet enim aliàs Scriptu-  
ra recensitis alicujus peccatis poenitentiam, si qua fuit,  
lubens annexere & hoc lubentius, quo peccata graviora  
magis seria & severa subsecuta fuerit poenitentia. Ortum  
trahit hic script. mos ex divinæ clementiæ natura, quæ  
peccata nostra potiùs dissimulat, quàm enunciat: regit  
quam retegat: celat quam revelat; Virtutes contra po-  
tiùs prædicat, quàm conticet: exprimit, quàm suppressit:  
decantat, quàm mussitat. Plurimorum instar exemplo-  
rum sit unicus *Achab*; hujus peccata quidem recensentur  
*III. Reg. 21. vers. 25. 26. quòd vendiderit se ipsum ad facien-*  
*dum malum in oculis Jehova, incitante Jhesabele uxore ejus;*  
*it. rem fecerit, abominabilem valdè, eundo post idola, juxta*  
*omnia quæ fecerunt Emoræi;* quod veluti imitator Salo-  
monicæ impietatis & mulierositatis ab Isabele malitiâ  
multarum foeminarum numerum supplente seductus  
fuerit, nihilominus statim poenitentia ejus subjungitur:  
quòd videlicet ab Elia reprehensus, *sciderit vestimenta sua*  
*& posuerit saccum super carnem suam, jejunaverit ac in sacco*  
*dormiverit.* Et licet rectè dicatur fuisse illam poenitenti-  
am temporariâ tantùm & ex metu poenæ profectam; ta-



men utut sit, tantum est ut Deo displicuerit, ut potius  
perplacuerit. Fuit enim verbum Jehova ad Elia dicendo:  
*Vidistine quod humiliaverit Achab à facie mea? propterea  
quod humiliavit se à facie mea, non inducam malum diebus  
ejus.* Jam si & Salomonem piaculi poenitisset, tacuisset-  
nè Deus? præterissetnè id S. Scriptura? quis credat? Aut  
putamus Deum privare quempiam sua laude, dignum?  
Absit!

XXX. Deinde videmus ubique à Deo in pejorem rari  
partem, quod Salomo primus idololatriam in Sanctam Urbem  
invexerit. Scriptura etenim non aliter illi scelera præ-  
sertim idololatriæ exprobrat, quàm aliis Regibus de quo-  
rum vel impietate vel damnatione nullum est dubium.  
Et quo dignus esset, qui horrendum Deo indiceret bel-  
lum, adversus eum turres extrueret impiaque arma su-  
meret? Id quod tamen hic *Pacificus* facere haut erubuit.  
Nonnè bellum quodammodo infert, qui inanium idolo-  
rum simulacra colit? nonnè turres adversus coeleste Nu-  
men extruit, qui idolis excelsa ædificat? At hæc omnia  
ille patravit. *Aras enim extruxit idolis coram Jerusalem  
ad dexteram Montis 3. R. 11. 7. & 4. R. 23. 13.* quod perinde  
fuit ac si in ipsa urbe extruxisset. Hinc ex montis conspe-  
ctu perpetuum idololatriæ irritamentum Hierosolymi-  
tanis creabatur. Ô scelus! Ô perniciem quæ id subsecuta  
est summam! à qua etiã mons denominatus est *מִשְׁכַּן*  
i. e. corruptionis, exitii &c. mons perditionis. vid. *Job. de  
Pin. l. 7. c. 10. f. 4.* Unde tandem gravissima illa Dei que-  
rimonia; quòd, cum ex universo Orbe terram illam pro-  
missam; ex terra verò promissa unicam Hierusalem sibi  
voluerit propriam? tamen Sanctam civitatem in qua  
suum ignem, suum caminum, suum altare Deus consti-  
tuerat,



auerat, infelix *Salomon*, in vestris Diis polluerit, & quasi illorum tutelæ tradiderit. Et quod crimen exaggerat; *primus* fuit qui idololatriam introduxit, & sanctum Dei populum ad eam inflammavit; primus fuit. Jam autem notum est alicujus sceleris autores gravissimè præ cæteris puniri, exemplo illius *Levit. 24.* qui *maledixerat & lapidibus obruebatur. Num. 15.* qui *ligna in Sabbatho collegerat & similiter lapidibus trucidabatur &c.* Et hic nefandi sceleris autor qui se & suos perdidit impunè omnia ferret minimè.

XXXI. Tertiò idem evincitur, ex amplissimis pollicitationibus atq; gravissimorum suppliciorum comminationibus contemnit à *Salomone* habitis. DEUS siquidem, ut est naturâ BONUS imò ipsa BONITAS, & ut omnium saluti lubentissimè consulit: ita *Salomoni* quoque hac in re deesse noluit. Quia itaque sciebat *Salomonem* esse hominem, qui nihil humani à se alienum putaret & per omniscientiam suam videbat fore, ut ipse Deum suum dereliqueret, huic malo tum promissionibus tum comminationibus obviam ire voluit. Idem Optimus parens ut semper, ita jam jam moriens quoque serio, & severè agebat, ut filius scilicet fideliter officium suum faceret. Sed heu quid ille? probè curat, scilicet. Et Dei & Parentis saluberrima monita negligit, neglecta posthabet, posthabita nefariè transgreditur. Et adhuc dignus esset cui impunitas concederetur? vix putamus; sed potius sibi habeat, quod voluit: in primis illud quod parens ipsi comminatur. *1. Paralip. 29. 9. si dereliques Dominum, projiciet te in aeternum;* ubi vocum emphasis notetur. *17* enim proprie violentam projectionem denotat, ut *Pf. 60. v. 3. & 74. v. 1.* adeoque hæc projectio videtur non absimilis esse illi  
*Saulis*



Saulis 2. Sam. 7. 15. quâ dicitur à facie Domini amotus ; præsertim quia hic de Salom. additur : *לעל* in æternum ; quamvis in eo differat , quòd & Saulis posteritatem rejecerit Dominus : Salomonis verò non item ; unde 2. Sam. 7. 15. dicitur : *miser cordia mea non recedet ab eo quemadmodum à Saule &c. & III. R. XI. v. 13. totum regnum non scindam sed tribum unam dabo filio tuo , propter Davidem servum meum & propter Jerusalem quam elegi.* Habeat ergò sibi Salomo quod voluit ; projectus est in æternum,

XXXI. Et hoc denique ostenditur ; Ex eo, quòd non perseveraverit ; sapientiam amiserit, tandemq; ejus damnatio Ecclesie cesserit utilitati. Primum quod attinet ; sequi id videtur ex verbis III. R. cap. 11. v. 4. *non fuit cor ejus perfectum cum Jehova Deo suo ;* ubi *perfectum* potest etiam reddi *completum* (utrumque enim Hebr. *שלם* notat) ut sensus sit : *non fuit cor ejus completum* i. e. ad finem usque cum Jehova. Ita ibidem v. 6. *non adimplevit ut sequeretur Jehovam ;* ubi in Hebræo est : *לן סלם אחר יהוה* non implevit post Jehovam ; id quod sicuti de impiis tantum dicitur : ita contrà *לן סלם אחר יהוה* tantum de piis vid. Nam. 14. 24. jam si non perseveravit, utique damnabitur. Severissimè enim Christus Matth. 24. v. 13. *quicumque ad finem usque perseveraverit, salvabitur.* Secundum itidem patet ; quia planè non est verisimile eum sapientiam quam acceperat, retinuisse ; siquidem juxta illud Sapient. 1. v. 4. *non habitat sapientia in corpore peccatis subiecto.* Consentiant August. l. 3. de doct. Christ. c. 21. *Salomonis initia desiderio sapientie flagraverant, quam cum amore spirituali esset adeptus, amore carnali amisit.* Hieron. ad Rust. epist. infatuatum esse Salom. (ait) *instar salis insipidi.* Bernhar. epist. 129. ad Januens. de perseverantia ; *Si cautela*

Sam-





*Samsonis & Salomonis devotio perseverantiam retinuerunt;*  
*nec profecto is sapientia privaretur, nec ille viribus. Vid. Job.*  
*de Pin. l. 7. c. 19. & ex Rabi., Abravaniel in 1. R. c. 11.* Hinc  
si amissa sapientia restituta non fuit; divina quoque gra-  
tia non videtur restituta; Neque ipse saniori menti est  
redditus. *Tertium* denique constat; quia fines illos;  
quos divina providentia sibi in occultanda *Salomonis* sive  
salute sive damnatione proposuit, facilius obtinebunt fi-  
deles, si non solum sibi persuaserint salutem *Salomonis*  
dubiam; sed jam prorsus deploratam esse. Unde enim  
tantus metus, tanta sollicitudo operandi salutem, in fi-  
deles redundabit, quàm ex certâ *Salomonis* Sapientissimi,  
opulentissimi, gloriosissimi damnatione? Aut quid tan-  
dem ad contemptum hujus mundi; ad fugacis gloriæ, flu-  
xarum Opum & fascinantis concupiscentiæ despicio-  
nem efficacius, quam unius *Salomonis* damnatio atque  
ejusdem persuasio?

XXXIII. Sed pax boni Viri, pax! ne ita secundum  
juris (ut ajunt) apices! miserum exanimastis! vix respirat:  
Appellat, causam aliis dijudicandam defert: mitius judi-  
cium exspectat. Gaude Salomon! Ad sunt Patroni; te-  
stes plurimi, gravissimi.

XXXIV. Primus est, *Episc. Lugdan. Irenaus*; cujus  
verba cum proluxa sint, poterunt legi *l. 4. c. 45. adv. he-*  
*ret.*; ad quæ quid *Fevardentius* Scholiastes respondeat,  
vix habet. Sequitur *Presbyter Hierosolymit. Hieronymus*,  
qui ut aliàs cum *Hebræis* sæpissimè: ita & hic cum iisdem,  
*Salomonem poenituisse adstruentibus*, facit. Hinc mul-  
tis in locis ejusdem partes agit, & quidem *10. 2. ed. Roman.*  
*adversus Jovinian. De poenitent. l. 2.* inter peccatores, sed  
poenitentes, *Davidem & Manasse*, medium assignat lo-

D

cum



cum Salomoni. T. 4. in Ezech. c. 43. v. 10. ait: Non solum  
templi cultores & editui, sed & ipse fabricator ejus Salomo  
peccaverit & ostenderit Deum; licet postea egerit pœniten-  
tiam scribens proverbialia in quibus ait: novissimè ego egi pœ-  
nitentiam.

XXXV. Episc. Neocæsariensis, Gregorius Thaumatur-  
gus in Ecclesiasta c. 2. v. 11. Metaphraseos; (quæ quidem  
Gregor. Nazianzeno à nonnullis tribuitur, & inter Opera  
ejus Basilea impressa habetur: sed hujus genuinum esse  
factum, Critici jamdudum evicerunt; Vid. B. Gerh. l. c.  
Riv. in C. S.) ubi Salomo loquitur ita: Εἴτε ποτὲ (postquam  
scil. me omnium voluptatum saties cepisset) ἀνανήψας  
ἐγὼ καὶ ἀναβλέψας, κατείδον ἅπερ ἐν χερσὶν εἶχον, μοχθηρὰ τε καὶ  
ὄμῃ παγκάλεπα, πνέματα ὅσα ἀγαθὰ ποιήματα ἔδεν γὰρ  
ὅτι ἐν ὑπὸ ἀνθρώπων ἡρημῶν ἀποδεικτὸν εἶναι μοι νῦν καταφαί-  
νεται καὶ περιστάσεων ὀρθῶ λογισμῶ. Συλλογισάμενος ἔν τε  
τῇ σοφίᾳ ἀγαθὰ, καὶ τὰ ἀφροσύνης κακὰ, εἰκώτως ἀνὴρ ἰκανῶς θου-  
μάζοιμοι ἀνδρα ταιῶτον, ὅστις φερόμενος ἀλόγος ἔπειτα, ἑαυτὸν  
λαβόμενος εἰς τὸν θέν ἀντιπέφ.

XXXVI. Episc. Pictaviensis, Hilarius in Psal. 25. de  
divinæ bonitatis indulgentia differens, elegans ut de a-  
liorum Sanctorum, ita de Salomonis quoque pœniten-  
tiâ exhibet testimonium. *Indulgentiam inquit, infirmi-  
tati nostræ quâ non semper boni permanemus, ex merito vo-  
luntatis impartiens, bonos nos delectat; magis quæ volu-  
mus propitiatus est, quàm his quæ non possumus iratus est.*  
Namque cum Mosi fideli utique amico suo dixisset, quia non  
glorificasti me in aquis contradictionis, ascende in montem  
& morere; hunc sibi postea unâ cum Elia ab Apostolis in mon-  
te conspectum beati & aterni regni sui consortem & marty-  
riam reservavit. *Et ne per Aaron & David & Salomonem*  
ac ple-



ac plerosq̄ alios istius bonitatis Dei exempla percurram quibus increpitis de mutationum offensis, ob Dei tamen meritum affuit venia proclivis. Nihil clarius & ad animorum solatium oportunius! *Episc. Mediolan. Ambrosius* à quibusdam quidem ad secundam refertur classem, sed quo jure, non videmus. Quod enim *Martyr. l. c.* cum ideò illuc refert, quia *Apol. 2. Dav. c. 6.* dicat: *Salomonem sapientiam nec principio sui habuisse, nec in fine possedisse;* id improbamus, ut infra patebit. Huc igitur potius spectat, cum eadem *Apolog. 1. 4. edit. Rom. c. 3.* dicat: *Si David infirmus, tu fortis? si lapsus est Salomo, tu potes esse primus Sanctorum? Ergo si erraverunt iusti, tanquam homines errarunt; sed peccatum suum tanquam iusti agnoverunt.* Inquis: *Apolog.* hæc non videtur esse *Ambros.* vid. *B. Gerh. l. c., Riv. in C. S. at resp.* ut ut sit, non modo ibi *Salom. sanctum* vocat sed & in *Apolog. 1. Dav. cap. 3.* ubi dicit: *Quid de Salomone Sancto loquar? cujus posteriora cum gravi errore non careant, vulgus tamen Judeorum ipsum existimat venisse pro Christo &c.* Confer. super *Psal. 119.* Hic *iusti & sancti* appellatio nulli certè conveniet nisi ei, qui licet lapsus fuerit, postea tamen surrexerit, juxta illud *Proverb. 24, 16. septies cadit justus & resurgit;* quod eleganter explicat *Hieronim. ep. ad Rust. Si cadit, inquit, quomodo justus? si justus, quomodo cadit, sed iusti vocabulum non amittit, qui per penitentiam semper resurgit.* Aliam hujus dicti explicationem videtis apud *D. Wellerum in Offic. bibl. §. 919.* ubi & *ly, IN DIE,* quod *Lat. interpres* habet, rejicit. *Episc. Hierosolym. Cyrillus sive Johannes, (vid. Riv. in C. S.) in Catech. 2.* peccatoribus poenitentibus annumerat *Salomonem, Achab, Manassen, Ezechiam, &c.*

XXXVII. *Episc. Cypri, Epiphanius in navaejo contra*

D 2

Heres.



*Heres. 10. 3. lat. Basil. Hæresi 42. Marcionem, asserentem; in infernum descendisse Dominum, ut salvaret Cain, Core, Dathan, Abiran & Esau, ut & omnes gentes quæ non noverunt Deum Judæorum; Contrà Abel, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Mosen it. Davidem & Salomonem ibi reliquisse; Et ita tam Cainum eripientem, quàm Salomonem damnantem, damnat.*

*XXXVIII. Tychonius Afer, t. 6. Bibl. PP. ed. Margari-  
rini Bignai Theol. Paris. in Regulâ 4. quæ est: neminem ex  
operibus legis justificari posse; ita de Salomone: quid dicimus  
de Salomone? cum Deo est? an post idololatriam reprobatus  
est? si cum Deo dixerimus, impunitatem spondebimus idolo-  
rum cultoribus. Non enim dicit scriptura, pœnitentiam e-  
gisse Salomonem aut recepisse sapientiam. Si autem reproba-  
tum dixerimus, occurrit vox Dei, quæ dicit: nec terra qui-  
dem regnum auferri Salomon propter David &c. Licet ve-  
rò hic Tychon. Donatistarum errore tinctus fuerit; ta-  
men gravis aliàs & antiquus est auctor, cujus regulas haut  
negligit August. ep. 77. ad Aurel. atque adeò eas adprobat  
l. 2. retract. c. 18. Bachiarius οὐγγου. Augustin. in ead.  
Biblioth. PP. tom. 3. epist. ad Januar. de recipiendis lapsis;  
itidem Salomonem à Deo receptum esse sperat.*

*XXXIX. Consentunt ex recentioribus Episc. Bello-  
vac., Vincentius in spec. histor. c. 84. Doctor Angelicus Tho-  
mas Aquinas l. de regim. Princip. c. 8. Si Thomæ est, ut qui-  
dem Joh. de Pin. vult sed vid. B. Gerb. l. c. Episc. Albanens.  
Bonaventura tom. 1. ed. Rom. præm. Ecclesiastæ; Episcop.  
Burgens. Paulus de Sanctâ Mariâ, in addit. 2. Reg. c. 7. Pos-  
sibile, dicens, Salom. pœnituisse, sic tamen propè mortem, quòd  
jam non valebat idola destruere; undè ex hoc nò concludatur  
necessariò ipsum non esse salvatum &c. It. Episc. Equilinus,  
Pet.*



*Pet. de Natalibus in Albo Sanctorum; Cardinalis Hugo in 3. Reg. c. 11. & initio Ecclesiastæ. Magister Historiarum, Petr. Comestor in 2. Reg. c. 7. cap. decimo;*

*XL. D. Martinus Chemnitius in L. C. part. I. p. 253. postquam recensuerat Aaronis lapsum; subdit: Hæc Aaronis historia restatur agentibus pœnitentiam magna & atrociam peccata remitti; sicut de Davidis, Salomonis & Manassis lapsibus sentiendum est. D. Hieronymus Wellerus in III. Reg. c. 11. Quod Salomon, inquit, non planè à Deo defecerit, apparet ex his verbis: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo. It. ex verbis: dormivit cum patribus suis. Verisimile est igitur eum à Deo tandem revocatum fuisse ad pœnitentiam itidem ut Manassen, latronem in cruce & alios; præsertim cum non fuerit persecutor cœlestis & sincera doctrina &c. D. Franzius tract. de interpr. S. Script. Orac. LI. circa finem: Illud silentio non est involvendum, quod mulieribus alienigenis Salomo non videatur indulgisse usq; ad finem vitæ. Constat id apertissimè ex I. & II. Ecclesiastæ; Autor enim libri istius nominatur primo versu, qui utique aliis quàm Salomo esse nequit. C. II. v. 4. & seqq. recenset suarum voluptatum historiam & simul conversionem. D. Johan. Wiggandus & Matth. Judex in Syntagm. V. T. p. 960. Salomo horribili idololatriâ se polluit; quamvis eum rediisse ad pœnitentiam vero simile sit, quia à viro Dei redargutus dicitur 3. R. 11. ad cujus vocem fortè pœnitentiam egit, ut David ad Nathanis. D. Lucas Osiander in III. Reg. c. XI. Verosimile est, respuisse Salomonem, quanquam senio confectus, non amplius eo vigore præditus fuerit, ut instituta ethnica, cum debito zelo abrogaret. Eadem habet in h. l. Filius, D. Andreas Osiander.*

*XLI. Noster Gerhardus, quamvis in Harmon. Ev.*

*D 3*

*angell.*



angel. c. CLXXIII. p. 1767. ed. Hamburg. dicat: horrendum  
est apostasias exemplum, quod Salomo Deum diligens & à  
Deo dilectus, atque ex eo Jedidia dictus, majores & successo-  
res suos omnes sapientiâ exsuperans tandem senio confectus  
ad sacra idololatrica abducitur: sed aequè gravis & horribilis  
est apostasia; quod Judas, qui caelestem sapientiam à Christo  
Salomonis antitypo didicerat, à meretriciâ Synagogâ seductus  
penitus à Christo deficit, &c. quamvis item disp. 12. in Wen-  
delin. animad. 5. hanc controvers. suo loco relinquen-  
dam velit; tamen in postill. Salomonea, in prafat. c. 2. §. 3.  
ait: Ob wol in der heiligen Schrifft / keine ausdrückliche  
Meldung seiner Bekehrung geschicht / iedoch ist es vermuthz-  
lich / Kan auch mit etlichen vernünftigen Ursachen und  
Zeugnissen der alten Kirchenlehrer bewiesen werden / daß  
Salomo vor seines Lebens Ende zum wahren Gotte Israe-  
lis durch ernste Busse sich bekehret und selig worden. Laur.  
Fabritius, Prof. Witeberg. in partit. cod. Hebr. c. XI. Scri-  
ptum hoc (Ecclesiasten) Salomo post gravissimum suum la-  
psum ad meliorem mentem reversus, composuit. Et paulò  
post: Cum hic liber summum Dei timorem spiret, & compo-  
situs sit post juveniles illecebras, vero omninò consentaneum  
est, non solum in senectute hunc librum scripsisse; sed ipsum  
tandem salvatum fuisse, &c. D. Joh. Claverus in histo-  
riar. totius mun. epitome, de Salomon. qui opum, inquit, ab-  
undantiâ corruperat animum, postea ad se rediens, vanitatis  
damnavit publicè, quicquid Solis radius illustrat. Ut verè  
dixeris felicitatem externam à nemine despectius habitam,  
quàm qui eam maximè fuit expertus. Nam vite extremo  
comperit, inter voluptates nimias, difficilimum esse sapere  
& sapientissimis. D. Casp. Erasim. Brochmand. in System.  
Theolog. p. 406. par. I. inter peccatores, Aron, David, Pe-  
trum,



trum, medium constituit Salomonem. Suffragantur D. Waltherus in officin. bibl. §. 928. & Lic. Geierus in Ecclesiasten.

XLII. Junius & Tremellus in II. Chron. cap. 11. v. 17. Videtur ex h. l. ut & toto Ecclesiaste, Salomonem post lapsum resipuisse; Et si non potuit idololatriam planè evertere & cultum Dei redintegrare, ut temporibus Manasses quoque contigit. Guilielm. Amesius Prof. Franck. in Bellarm. enerv. 1. 4. l. 6. c. 4. th. 13. Bellarmino Salomonem à gratiâ excidisse dicenti respondet: excidit Salomon à gratiâ, quemadmodum ille qui grave deliquium animi patitur, excidit à vita. Piscator Herborn. in I. Chron. 28. observat. 8. Ex v. 6. verbis colligi potest, Salomonem ab idololatriâ suâ quam in gratiam uxorum exercuerat, resipuisse, & tanquam unum ex filiis Dei, hereditatem cœlestem quam moreretur adeptum esse. Idem etiam sentiunt, & juxta hypothésin suam, verè credentes non posse fide excidere, sentire coguntur, nisi Salomonem verè credentem fuisse negare velint; Jac. Altingus Prof. Groning. in Theol. Hist. loc. 2. Waserus in Thes. S. 27. Wendelinus in Christ. Theol. c. 24. & Apolog. C. T. exercit. 121. Hottingerus, thesaur. Philol. p. 492. Alsted. in Chronol. A. M. 2968. Pet. Ravanellus, p. 2. Biblioth. S. voce Salomon. Martinus Borrhaeus Prof. Basil. in III. R. c. 11. v. 11. Hic non legimus Salomonem exitio aeterno mulctatum esse, sed temporariâ pœnâ punitum, diviso nimirum ejus regno. Consentiant Joh. Major, Scotus. Itè in Christo. Santorissus in Matth. c. 1. Alvarius Pelagius, Episc. Sylvensis, de planctu Ecclesie c. 45. Martinus Delrio, Ludovicus Sotomajor, Prof. Conimbr. Damianus Hortolanus, & Jacobus de Valentia Episc. Christopolit. in Canticum Cantic. Joan. Arboreus Prof. Paris. Theosoph. l. 17. c. 7. Ludovicus Vivaldus, Opere Regali p. 2.



li p. 2. *Georg. Venetus tom. 5. Problem. f. 1. Gilber. Genebrardus, Archiepisc. Aquensis in Chronologia. Anton. Possivi. l. c. voce, Salom. Job. de Pin. l. c. Johan. Steph. Menochius, Prof. Paris. in explicat. Biblior. III. Reg. c. 11. Nicol. Serrarius, Reg. III. c. 9. fol. 240. Hieremias Drexelius tom. 2. Op. l. ult. de Salo. c. ult. Jacob. Salianus l. c. Job. Lorinus in Ecclesiast. & denique plerique Hebræorum, ut supra diximus; vid. præter Thalmudistas, R. Jehuda (quem per Excellentiam vocant רבנו הקרוש) in גלי רזירי ubi Salomonem sanctis & justis annumerat, citans מחקר הסודות R. Simeonis Ben Johai; apud Galatin. l. 6. c. 13. vid. item R. Levi Ben Gerschom, & R. Schelomoh Jarchi in cap. 30. Proverb., R. Jose in סדר עולם רבנא c. 15. R. David Gans in צמח דוד p. 13. præsertim interpretes Ecclesiastæ; imò *Lyranus* & ipse olim Rabbi, integrum de Salomonis pœnitentiâ librum exstare, attestatur.*

XLIII. Quid? quod & *Arabes* Salomoni cupiant; & quanquam ipse Alkorani fabricator *Muhammed*, *Sur. XXXIII.* de Salomonis obitu obscure loquatur: tamen celebris hujus interpres *Beidavi, commentar. in h. l.* ait: *Salomonem de morte certiore factum in precibus obiisse.* Et clarissimè *Kessaus, Professor quondam Acad. Cufensis*, eundem Alcor. locum enucleans, lib. de *Vitis Patrum: Angelum mortis*, inquit, *Salomonem rebus sacris in sacello suo vacantem & psalmos legentem compellasse, eidemque mortis horam instare significasse; animam deinde ejus in cælestes sedes transtulisse.* Vid. *πλυμαξεται* & *Hottingerus in Histor. Orient. p. 66. 67.*

XLIV. Jam adhuc unicum videamus, quodnam firmisimum & veluti colophonium auxilium Salomonis Salutis afferat *Job. de Pin. l. & c. cit. sect. ult.?* Depromit videli-



delicet illud ex sacro & penitus recondito plumbeorum li-  
brorum penu, qui jam inde à Jacobo Apostolo, Hispaniarum  
Patrono, ejusq; discipulis in tenuibus plumbilaminis ad men-  
suram vole orbiculatis insculpti sint characteribus (ut ibi vo-  
cantur) Salomonis, ad miraculum minutissimi sed absolutis-  
simis, nimirum Arabicis orientalibus, id est, antiquissimis &  
idiomate præterea Arabico ut vetustissimo, ita cultissimo,  
quippe quod peritissimi Arabum ad originem referant He-  
braicam; & sic Ismaëlitico vulgari longè sit elegantius, ut et-  
iam doctissimus ille Abunahifa, Auctor lib. lingg. Arabica &  
Mostarabica ostendat. In his, inquam, libb. diu quaesitis tan-  
dem ab Archiepiscopo Granatensi, Petro de Castro, feliciter in  
monte inventis, multis item rerum præteritarum sacris hi-  
storiis, & futurarum prædictionibus, refertis, de Salomonis  
quoque poenitentia clarum habetur testimonium: quod  
quia typi nos destituunt, in avidi Lectoris gratiam ita ex-  
primimus latinè:

: Xadidan buccaàn danbahù Guabakà

vehementi fletu scelus suum Et flevit

: maimunànn aminàn gaumàta lahù Guagha farà

& securus fidelis & obiit illi Et condonatum est

Hoc certè testimonium si genuinum esset, quid ultrà in-  
quireremus: verum veremur, ne credulus Hispanus  
סולת תחרת הסולת i. (ut Hebraei ajunt) *furfures pro  
farina* emerit & jam aliis vendere velit; vide Judicium  
quod Gerhar. Joan. Vossius de hisce libris tulisse ait, Virum  
Clarissimum Thomam Erpenium; apud Hottinger. in Ana-  
lec. Theolog. p. 322. It. Jesuitam Possevinum consule l. c.  
voce; Jacob. Apost. & ipsum Joh. de Pin. l. 3. c. ult.

XLV. Atque sic pro Salomone quoque plurimos  
testes, antiquitate auctoritateque certantes audivimus,

E exami-



examinavimus, testimonia eorum expendimus, ita ut  
 causâ eos superiores esse non possimus non judicare; si-  
 quidem & gravitate & numero tam dubitantium quàm  
 Adversariorum testimonia superent, atque firmiter  
 innitantur fundamentis, ut ex sequentibus affatim pate-  
 bit. Adhæc sumus homines, ipsa humanitatis ratio suo  
 jure sanè nonnisi humanissimam à nobis exigit senten-  
 tiam. Hoc autem monemus: nos non id agere, ut Sa-  
 lomnem planè absolvamus; non! quis enim hoc præ-  
 staret? sed quoniam patronos ejus probabilioribus niti-  
 rationibus videmus: ideò in eorum quoque sententiam  
 rectâ imus. Pariter *Joh. de Pin. lib. 3. circa finem: Salomo-  
 nem quidem vult Sanctum, sed haut ex iis quibus ex senten-  
 tiâ domesticâ δελεῖας tribuat.*

XLVI. Igitur hæc nostra sententia *Primò ex Pro-  
 verbiis* confirmari potest, quæ post lapsum multorum ju-  
 dicio scripsit *Salomo*; & quidem ut alia jam mittamus, ex  
 cap. 24. v. 30. 31. 32. ubi ipse *Salomo* de suâ poenitentiâ te-  
 stari videtur: *Transivi, ait, juxta agrum hominis pigri &  
 juxta vineam hominis carentis corde; & ecce ascenderant  
 per totum ipsum spina, operuerant superficiem ejus urtica &  
 clausura lapidum ejus destructa erat. Et vidi ego, animum  
 adhibui, vidi & accepi eruditionem; pro quibus ultimis  
 verbis LXX: ὕστερον ἐγὼ μετάνοησα, ἐπέβλεψα & ἐδέξαμαι πα-  
 δειά; Tandem ego poenitentiam egi, respexi ut eligerem di-  
 sciplinam. Sed inquis: in fonte aliud, dicitur enim, וראיתי  
 : אכתי לקחתי מוסר & adspexi ego, posui  
 cor meum, vidi, accepi castigationem. Verùm respondeo, tan-  
 tum abest, ut fons nobis adversetur, ut potius faveat.  
 Nam copula ו ut aliàs sæpiùs denotat itaq; sive tunc &c.  
 Vid. Dn. D. Glassius in Philol. p. 876. ita non malè cum  
 LXX. hic reddi potest, tandem; & quia verbum וראיתי  
 ראיתי*



לְבַי, אֲשֵׁר לִבִּי, לֹא אֵינִי, nōn nudam visionem sed accuratam  
animadversionem important, nihil impedit, quo minus  
ita reddamus: *Tandem ego respexi, posui cor meum sive ani-*  
*mo volutavi meo, vidi & accepi castigationem?* Quid verò  
hæc aliud sapiunt, quàm μετανοία? cur cum LXX. non  
possent reddi: μετανοία &c.

XLVII. *Regeris*: si tam apertum in LXXII. legitur  
testimonium, cur id non omnes Græci & Latini PP. a-  
gnoverunt, qui tamen iis uterentur? sanè quia etsi id le-  
gerent, tamen de Salomone ipso non acceperunt, sed de  
quocunque alio, licet ipse Salomo loqui videatur, quasi  
dicat: *Ego si huiusmodi piger essem cujus ager senticosus &*  
*vinea horrida esset, tanta certè incuria pœnitentiam agerem.*  
Verùm resp. verum esse, non omnes id animadvertisse,  
sed quid hoc refert? animadverterunt tamen aliqui *Hie-*  
*ronymus* scilicet, & *Cyrillus Catech. 2.* &c. cùm multa sint  
viceversa quæ illi viderint; hi secus. Deindè nescimus cur  
id quod ipse dixit, non tamen de ipso dictum velint? &  
cùm ipse dicat, *Ego*, dicenti non magis credant, quàm si  
diceret ille aut *tu*? premamus locum; nam in neminem  
melius quàm Salomonem quadrat. Illud enim *transivi*,  
nescio quam experientiam denotat. Ipsa verò parabola  
agri & vineæ primùm cultæ atque sepe munitæ; postea  
desertæ & incultæ; quid aliud quàm Salomonis animum  
primùm à Deo sapientiæ & virtutum omnium sationi-  
bus exultissimum, divinæ providentiæ sepe circumda-  
tum; postea tamen non agricolæ culpâ, sed agri vitio syl-  
vescentem, dirutâ scil. maceriâ & divinâ non amplius il-  
lum providentiâ custodiente; quid aliud, inquam atque  
Salomonis animum denotant? Hinc illa turbati atque  
pœnitentis animi propria vox: *Tandem ego respexi cor me-*  
*um posui, vidi, accepi castigationem!*



XLVIII. Præterea quod non sine causâ videtur factum esse LXXII. illis subjunxerunt versum 15. & 16. ex cap. trigesimo eorundem, *Proverb.* ubi Salomo suam ipsius incontinentiam notare videtur, inquit: *tria sunt quæ non satiantur, & quatuor quæ non dicunt, sufficit; Sepulchrum & sterilis vulva, & terra quæ non est satiata aquis & ignis qui non dicit, sufficit;* ubi loco vocab. *sterilis vulva* Hebr. est **עצר רחם** q. d. *occlusio vulva.* LXXII. verò *ἔργος γυναικός Amor mulieris;* ut ad illicitum & turpissimum quo irretitus fuerit amorem respectus habeatur. Deinde hisce conjungunt ex *eod. 30. cap. v. 1. 2. & 3.* ubi Salomo suam ipsius stultitiam accusare videtur, ut ita omnia cum Salomonis poenitentia congruant. Ita enim *v. 1. Verba Agur filii Jace, visio quam dixit Vir ad Ithiel, ad Ithiel & Uehal;* quæ cum vulga. sic quoque reddi possunt: *Verba congregantis* (nam **אגור** est ab **אגר** congregavit) *filii vomentis* (**ק'י** enim cum **ק'י** vomuit aliquatenus convenit) *visio quam locutus est vir cum quo est Deus, qui Deo secum morante confortatus est* (quia **איתיאר** compositum, qs. **איתיאר** mecum Deus & **אוכר** cum **אוכר** potuit, fortis fuit, concinit. Vid. Dn. D. Glassius l. c. p. 947.) *ῥ. 2. Stultior sanè sum quolibet, nec est intelligentia hominis mihi ῥ. 3. neq. didici sapientiam, nec scientiam sanctorum novi;* Scilicet cœca idololatria & brutarum voluptatum Circe, quos non fascinarunt? quos non infatuarunt? *Congregantem autem & vomentem se vocare potuit, quod salutaria vitæ consilia tum in hoc tum alia volumina congregavit* qs. *& evomuerit; & virum cum quo est Deus &c.* quòd Deus ab eo non recesserit. Ita hunc locum explicant *Hieron. Arboreus, Rabag, Raschi, alii.* Tandem & *ῥ. 7. 8. 9. cap. ejusdem 30. huc transtulerunt LXXII. ubi Salomo jam*  
senex



senex idololatriam & divitias omnium vitiorum semi-  
naria & pabula à se petit removenda: *Duo, inquit, postu-  
lavi à te, ne prohibeas à me, antequam moriar; vanitatem &  
verbum mendax remove à me, paupertatem & divitias ne  
dederis mihi; ale me cibo qui convenit mihi; ne fortè satier  
& abnegem dicamq; quis est Jehova; & ne fortè efficiar pau-  
per & furer, assumamq; in vanum nomen Dei mei.*

XLIX. Utrâque verò largimur manu, hæc omnia  
aliter explicari posse: nihilominus probabilis manet &  
illa explicatio, atq; hoc probabilior, quòd tanta versuum  
trajectio non temerè facta esse videatur. Videri possunt  
Biblia LXXII. interpp. Græca, quæ antè mille & ducen-  
tos annos scripta, Cardinal. *Caraffa* jussu Pontif. *Sixti*, hu-  
jus nominis V. ex Vaticanâ Bibliotheca edidit; quæ et-  
iam in Magno illo Opere Regio, diu desiderato, Hepta-  
plis scil. Parisiens. habentur. Id ipsum tamen in Com-  
plutensi ut & Opere Regio Hispanico it. Bibl. Franco-  
furt. 1597. ed. haud observatum est. Demiramur autem  
Purpuratum illum Jesuitam, *Bellarminum*, quî ausus sit  
hîc recedere à LXXII. versione, cujus tamen autores l. 2.  
*de V. D. c. 6.* clamat: *optimè transtulisse & peculiari modo  
Spiritus S. assistentem habuisse, ne quâ in re errarent.* Quin  
potius cum *Joh. de Pin. Jac. Saliario*, aliis Sociis, *Joh. LXXII.*  
sententiam & hîc amplectendam clamat; quia Interpre-  
tibus *divinitus* (ut ajunt) *illuminatis, & quorum verba, Scri-  
pturæ verba sunt; fides adhibenda sit.*

L. *Secundò*; nostræ sententiæ robur accedit ex *III.*  
*Reg. c. 11. v. 43.* ubi dicitur Salomo *obdormivisse cum patri-  
bus suis & sepultus in civitate David Patris sui.* Solennis  
enim hæc scripturæ formula est, obitum & sepulturam  
sanctorum describens. Undè *Bachiarius* optimè; *Veni-*



nam ex hoc consecutum esse (Salom.) agnoscimus; quia cum solutus fuisset à corpore, sepultum illum inter Regum corpora, Scriptura commemorat, quod tamen alibi peccatoribus Regibus abnegatum esse agnoscimus, qui usq; ad finem vite sue in proposito perversitate manserunt. Et ideo quia inter Reges iustos meruit sepeliri, non fuit alienus à veniâ. Veniam autem illam sine pœnitentiâ non potuit promereri. At inquis: non videtur Salomo juxta parentem sepultus; Cum hic in Monte Sion i. e. suâ civitate quæ appellatur civitas David, 3. R. 2. 10. ille in civitate David quidem, sed (quod additur) Patris sui, sepultus dicatur; quæ forsitan est Bethlehem, quemadmodum Isidorus l. c. intellexit. Verùm respond. Salomonem utique Hierosolymis sepultum esse, cum id quod additur, Patris sui; nobis potius quàm Isidoro faveat. Deindè illud ipsum præter Joseph. l. c. c. 3. & Rab. Benjamin Tudelens. in ספר מסעות, testatur Christ. Adrichomius in theat. ter. San., aliique apud eum, quibus sepulchrum Salomonis ostensum est Hierosolymis. Adde quod Dio Cassius sive Joh. Xiphilinus Patriarcha Constantinop. in epit. Dionis refert, inter alia prodigia quæ Judæorum cladem sub Imp. Adriano prænunciaverint, etiam sepulchrum Salomonis summâ reverentiâ Judæis habitum, sponte corruisse Hierosolymis. Vid. Cardinal. Baronius to. 1. Annal. 217. & Joh. de Pin. l. c. c. 3. qui & monumentorum Regiorum designationem à Dan. Barbaro Patriarcha Aquileensi exhibitam exhibet. Et quamvis sese ita res haberet, ut Isidorus vult; nihil tamen inde adimeretur illi; quod dicitur Salomo obdormisse cum patribus suis; quo non tam ad sepulchri quàm ad fidei sanctitatisque consortium respicitur, ut rectissimè observat Ambros. l. 2. de Cain. & Abel c. 2. dicens: Cognoscitur



*fitur illud non otiose scriptum esse, sed perpense atq; exami-  
natè quod legimus in Reg. 3. libb. Et appositus est ad patres  
suos. Intelligi enim datur quod patrum similis fuerit fide;  
Unde claret non ad sepulturam corporis, sed ad vitæ consor-  
tium relatum.*

LI. Sed regeritur, non esse id *universale*; tum quia  
*Manasse Pius, 4. R. 21. 18.* non legatur: contra *Roboamus*  
impius, *3. R. 14. 31.* & alii legantur patribus appositi! Cui  
verò *occurritur*. Esto: similem phrasin aliquando etiam  
de Impiis usurpari; adeoque eam piis & impiis suo mo-  
do communem esse; quod tamen prius evidenter pro-  
bandum est: tamen adhuc manet firmum, Salomonem  
vi phrascos istius posse salvum pronunciarì. Quod verò  
hæc phrasis de eo in bonam etiam partem accipi debeat,  
probabilissimo argumento est id, quod non sine causa,  
*Ecclesiasticus, c. 47. v. 26.* Salomonis curriculo ipsam hanc  
clausulam addiderit: *cum patribus suis requievit*; quam  
nulli alii præterea assignavit. *Inquis*; At cur Salomonis  
obitus *I. Reg. c. XI. v. 42.* tantâ cum laude non est; atque  
Parentis *I. Chron. c. ult. v. 28.* *Obiit (David) in senectute bo-  
na, satur dierum, divitiarum & gloria*; Ad hoc respond.  
Salomonem quidem ad Parentis ætatem non pervenis-  
se, quippè qui sexagesimum vix attigerit. Vid. *J. de Pin. l. 8.  
c. 2.* neque divitiis abundantem decessisse; utpotè immo-  
dicis sumptibus quos in ædificia, Gynæceum &c. impen-  
debat, pænè exhaustum; quamvis minimè ad tantam  
reductus sit paupertatem ut scipioni innitens mendica-  
verit, prout Judæi nugantur ad *cap. 9. v. 17. Eccles.*; neque  
tandem ita gloriosum obiisse, quod cum antea & Paren-  
ti & omnibus aliis gloriâ præluxerit; postea tamen *macu-  
lam gloria sua adsperserit nomenq; suum profanaverit*, ut  
ait



ait *Ecclesiasti. l. c. v. 22.* Quid verò hoc ad salutem Salomonis? Si modò poenitentiam egit, nihil id ipsi derogabit.

LII. Tertio nostram sententiam probamus *Ex bonis initiis regni Rehabeam 2. Paralip. 21. v. 17.* ubi Juda dicitur ambulasse in viis David & Salomonis annis tribus. Quia itaque conjunguntur viæ Davidis & Salomonis atque approbantur, necesse est Salomonem tandem in viam rediisse. Sed quid hic Adversarii? de prioribus Salomonis viis hoc intelligendum esse clamant; sicuti Amon Impius *4. R. 21. v. 20.* per universam viam Patris Manasses ambulasse dicitur; id quod similiter de priore Manasses viâ intelligatur oportet. Sed sit ita; ad priora alicujus mala respiciatur: nunquam tamen alicujus in bonam partem mentio fiet, nisi qui vitam piè finiverit. Ita Josaphat non scribitur *2. Paralip. 17. 3.* in viis Patris Ase (quamvis priores fuerint sanctissimæ) ambulasse; sed in viis David; Aliis exemplis supercedemus. Optima igitur Rehabeami initia, apertè indicant optimum Salomonis finem. Sed iterum ad hoc Adversarii: Rehabeamum necessitate compulsus, religionem instaurasse, ut ita Jeroboamo, populum ab alienanti, se totum opponere posset. Verùm respond. non laudari initia Rehabeami, quasi ipse Patris impietatem removerit: sed quòd in viis quas David & Salomo ipsi reliquerant, ambulaverit. Neque enim tanta fuisset pietas, auctoritas, prudentiavè Rehabeami (aliàs stulti & excordis; *Ecclesiasti. 47. v. 27.*) ut populum à falsâ abduceret religione, & ad veram reduceret, nisi jam Salomo religionem stabilitam reliquisset, superstitione relegata & idololatriæ sordibus expurgatis.

LIII. Quarto; sententia nostra stabilitur; quòd pænas



*nas quidem Deus comminatus fuerit Salomoni, sed tolerabi-*  
*les & temporales; misericordiam contra promiserit perpe-*  
*tuam.* Prævidens nimirum Omniscius Deus, *Salomonem*,  
 ex imbecillitate (quâ sumus eheu Omnes onerati!) la-  
 psurum; minatur se eum castigaturum, verùm paternè.  
 Ideò ex summâ benevolentia dicit, *2. Sam. 7. v. 14. cum*  
*iniquè egerit, arguam eum virgâ hominum, & plagis filio-*  
*rum hominum;* quibus calamitates quidem sed tempora-  
 les, non æternas, intelligi, ut per se in aprico est: ita ex se-  
 quentibus patescet. *Virga etenim virorum* (in Hebr.  
 אֲנָשִׁים שֶׁבֶט) nescio quid mite & blandum afferat;  
 quem paternum minetur animum. Commodissimè  
 hinc vox אֲנָשִׁים redditur *infirmorum, languidorum.* Hanc  
 enim significationem *vocab. אֲנָשִׁים* aliquando admittere,  
 ut originem אֲנָשִׁים *infirmus, invalidus fuit &c.* taceamus,  
 liquet ex *1. Reg. 17. v. 12.* ubi *Isai pater David* dicitur fuis-  
 se, tempore *Saulis* senex inter אֲנָשִׁים viros scil. præ se-  
 nio debiles & languidos; *Chaldaicè* quidem בְּחַיִּירֵי  
*electos* seu fortes; sed minùs appositè; Ut proindè Deus  
*Salomonem* hic percutere velit virgâ s. baculo infirmi-  
 qs. & languidi senis, parvulum castigantis, non acriter  
 & vehementer, sed ita ut verberare (quod dicitur) vix mu-  
 scam opprimat. Secus verò cum res seriò agitur & vires  
 suas adversus impietatem Deus exserit, non jam flagellat  
 virgâ virorum, sed ut *Esaiæ 30. v. 32.* dicitur: *virgâ fundatio-*  
*nis, quam requiescere facit Dominus super impium;* i. e. ita  
 flagellat, ut verbera penetrent instar *fundamenti* s. fistucæ,  
 quæ in altum igitur, ut ictum nemo à se repellere possit.  
*Hieron. Virgam virorum* interpretatur, *gladium inimico-*  
*rum;* *Chaldaus* habet אֲנָשִׁים בְּמַלְקוּרֵי בְּרִיָּין *flagellabo*  
*eum flagellatione virorum;* & fortè respicit ad antiquum  
 F illum



illum ritum *Deut. 25. v. 23.* qui Judæis vocatur מלקוּם; de quo vid. clariss. *Buxtorf.* in Synago. Per id verò quod sequitur, *plagas*, videlicet; *filiorum hominum*, nemo non videt, similiter intelligi paternæ correctionis plagas. Absit verò absit ut per *filius hominum* (qui in Hebr. dicuntur בני אדם) intelligamus *filius Adami ex demonibus succubis natos*, qui *Salomonem ad peccata concitarint*, & per quos postea *Deus de Salomone sumserit pœnas*, uti ex Hebr. tradit. referunt *Lyranus & Abulens.* Tale quid & *Muhammedani* Judæorum *Simiæ* tradunt. Vid. *Hotting.* in *hist. Orient.* p. 16. Sed rectissimè *Joh. de Pin. l. 7. c. 12.* *Fabula procul dubio fursuris Hebraici & suis digna autoribus, in quâ refellendâ otio & atramento abutitur Abulensis.* LXXII. reddiderunt: ἐν ἀφαισίς ὄντων ἀνθρώπων, quod eleganter dilucidat *Theodore. II. R. q. 22.* *arguam eum tactibus filiorum hominū* i. castigatione per homines, quoniam per manus fit, & tactus & cædes hominum. Benè *Hieron.* *plaga*, inquit, *sunt incommoditates corporum humanorum, quibus pro peccatis suis homines meritò à Domino flagellantur.*

LIV. Licèt jam ex ipsis pœnis Salomoni de Dei benevolentia constare possit: tamen Deus; ut est Benevolus erga peccatores, certiozem de eâ reddere voluit, dum intentatis pœnis subjungit, *l. c. misericordiam autem meam non auferam ab eo, quemadmodum abstuli à Saule, quem sustuli à facie meâ.* O sumam Dei clementiam! quis de ea desperaret? Non sufficiebat tolerabiles interminari pœnas; sed misericordiam insuper polliceri voluit, nunquam recessuram! Reclamant quidem Adversarii: *misericordiam* hanc intelligi de regni successione non abrumpendâ neque à Domo David & Salomonis transferendâ; non  
autem



autem de benevolentia erga ipsum Salomonem servanda; ut supra quoque hæc verba acceperunt. Ad hæc ipsum Davidem c. l. v. 25. & seqq. & ipsum Salom. 3. Reg. 8. v. 24. 25. illam Dei promissionem non aliter intellexisse quàm de continuanda regni successione. Verùm enim verò etsi hæc non diffiteamur; *quid tamen prodest* (ut verissimè Tychonius) *Davidi, si propter eum filius ejus regnum terra consequeretur, cæleste perditurus? quo manifestum est, cum Deo esse Salomonem, cui regnum quidem terra non est ablatum propter David cui dixerat: arguam in virgâ hominum peccata ejus: misericordiam autem meam non ab eo auferam.*

LV. *Instant*: promissionem quoque illam non tam de Salomone, quàm de vero Davidis filio, *Messia* accipiendam esse; ut Theodoretus, 2. Reg. 9. 22. Augustin. de C. D. l. 27. c. 8. Ambros. Tertulli. Galati. Procopius Gazæus &c. contra Judæos ostendant. Verùm respondemus cum Martyre comment. in h. l. nisi & in Salomonem aliquo modo conveniret, labasceret fides historie. Undè alii Salom. convenire contendunt; sed quòd & Christo conveniat, constat ex epist. ad Hebr. c. 1. Hinc alii promissionis partem unam Christo alteram Salomoni tribuunt. Verùm & hisce assentiri non possumus. & ut J. C. Casselius; cum apud eum duo mercatores de navi litigarent, & postremò eam vellet dividi, ut uterque haberet partem; minimè, respondit: *sic enim neuter vestrum habebit navem*: ita & nos respondemus promissionem inter Christum & Salomonem divisuris: *minimè; sic enim neuter promissionem habebit.* Commodissimè igitur utrique eam & quidem integram competere profiteamur, sed sensu diverso. Quòd enim Lyranus, Abulensis, Hieronymus Prædus &c. de utroque hinc agi



putant, & quidem sensu literali; id falsum est. Siquidem  
unius loci unus tantum est sensus literalis; prout egregie  
hoc ostendit *Plur. Rever. & Excellentiss. Dn. D. Præses in  
disp. de Sensu Script. S. 4. th. 9.* Undè distinguendum inter  
sensum literalem & Spiritualem seu mysticum; Sivè in-  
ter rem ipsam & rei typum; neque typus à re neque res à  
typo separanda. Primò itaque *c. l. 2. scil. Sam. 7. v. 12.* pro-  
mittit Davidi Deus: *Cùm exacti fuerint dies tui, dormieris q̄  
cum patribus tuis, statuam semen tuum post te, quod egre-  
dietur è ventre tuo.* Hic licèt sermo de longinquo tem-  
pore esse videatur & ità de Christi nativitate; tamen &  
de Salomone sermonem esse, tam ex seqq. quam *3. R. 2.  
v. 19.* patet; ubi ipse Salomo hæc de se interpretatur. Por-  
rò Dominus *v. 13. ipse adificabit nomini meo domum & fir-  
mabo solium regni eius in seculum;* Prius ad Salomonem  
propriè spectare videtur, nihilominus & ad Christum, qui  
spiritualem domum Ecclesiam ædificavit. *1. Petr. 2. v. 5.*  
Posteriùs verò ad Salomonem impropriè, de quo infra.  
Deindè *v. 14. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in fili-  
um; qui cùm iniquè egerit, arguam eum virgâ hominum &  
plagis filiorum hominum;* Prius, ut ad Christum: ita poste-  
rius ad Salomonem propriè respicere videtur, sed quòd  
illud etiam ad Salomonem; cognoscitur ex *1. Chron. 22.  
v. 10.* ubi ipsi Salomoni tribuitur: & quòd hoc etiam ad  
Christum; patet, quia omnium filiorum hominum pec-  
cata ipsi imputata sunt, non aliter ac si ipse ea commise-  
rit; unde quoque omnium filiorum hominum *plagis à  
Deo affectus & percussus est. Esaiæ 53, 4.* Præterea *v. 15. Do-  
minus: misericordia autem mea non recedet ab eo, quem ad-  
modum abstuli à Saule quem à facie mea removi.* Hæc non  
solum ad Salomonem, sed Christum quoque referri pos-  
sunt



sunt, quem quidem paulum dereliquit Deus; sed gloria & decore coronavit Psalm. 8. 6. Tandem Dominus vers. 16. ad David. *Et firma erit domus tua & regnum tuum usque in seculum coram te; thronus tuus erit firmus in seculum;* quæ utut de Christo & ejus regno propriè dicantur: attamen de Salomone etiam & ejus posteritate; regnum sc. futurum diuturnum. Nonnulli quidem by  $\text{דָּבָר}$  reddunt, *fidelis erit domus tua;* ut etiam vulgata habet, undè Augusti. *Glossæ ordin., Thoring.* &c. id accipiunt de fide & religione nunquam violandâ, adeoq; putant minimè convenire Salomoni, cujus domus tandem *plena fuerit mulieribus infidelibus:* Verùm quod hebraicum reddendum sit per *firma, stabilis* &c. (utrumque enim notat) ex subseqq. quæ priorum sunt  $\text{עַד־לְעוֹלָמֵךְ}$  patet: *regnum tuum in seculum, thronus tuus in seculum firmus.* ita rectè Chaldaus  $\text{קִים בְּתֵיבָה}$ . Quinimò latinè etiam dixeris, *fidelis* pro *firma;* ita inculpatæ latinitatis Auctor, Plinius l. 13. c. 6. *ad vetustatem fidelem* i. firmam *terebynthi materiam* valere ait; & ipse eloquentiæ Pater Tullius l. 16. ep. fam. 17. *domum dici posse fidelem,* affirmat, i. *firmam & stabilem.* Inquis; sit ita: sed quomodo Salomonis domus firma in seculum? Resp. in Hebr. esse  $\text{עַד־לְעוֹלָמֵךְ}$  quod & infinitatem & diuturnitatem significare, pariter ut latinum, notissimum est. Unde *Salomonis domus, solium, thronus & regnum* dicuntur firma; *in seculum* i. per tempus benè longum duratura. Quid? quòd Salomo per infinita quoque secula regnare possit, in Christo scilicet & per Christum. Vid. præter Interpp. *Plur. Rever. & Excell. Glasius in Phil. S. p. 271. edit. noviss. & Job. de Pine. l. 6. cap. 17. & 18.* Quoniam igitur de ipso etiam Salomone accipienda promissio, profectò non est amotus à divino conspectu, aut ab ejus benevolentissimâ providentiâ;



sicuti Saul amotus est. Regi enim illa & posteritatis servandæ promissio non est Davidi facta, nisi in Salomone filio; quare si propter David firma stat posteritas, stat quoque Salomon, in quo promissa est. Et denique si regnum à Salomone non omninò ablatum neque ab ejus posteritate; sanè non est omninò ablata divinæ gratiæ, poenitentia & perseverantiæ misericordia!

LVI. Quintò; Salomoni præsidium affert, quod ex potissimis sacrorum voluminum scriptoribus sit; Nam (ut optimè Bonaventura) indignum videretur, sacrum scriptorem, & divino afflatum spiritu, multorum sacrorum librorum sapientissimum utilisimumq; Ecclesiæ compositorem, tandem divini Spiritus gratiã destitutum, & illum cujus frequentissimè sacerrimis sententiis & scriptis utimur, & tam crebrò cum honore & laude nomen & Memoriam usurpamus, æternis suppliciis addictum esse! Regerunt ad hoc Adversarii, & quidem ex Augustino, in Psal. 126. Si illo cadente, quæ per illum dicta sunt deleerentur, judicaretur quia ipse dixerat, non quia per ipsum dicta erant. Optimè igitur etiam hoc egit misericordia Dei, & spiritus ejus, ut quicquid per Salomonem dictum; Deo tribueretur, peccatum autem hominis, homini. Sed respond. concedendo Salomonem inde quia peccaverit, intelligi non fuisse veritatis, quam tradidit, autorem; pariter atque inde colligimus non fuisse eum Messiam, id quod tamen Tiresiã cœciores Judæi crediderunt, teste Justin. Martyre cont. Tryphon. August. de C. D. l. 17. c. 8. Ambros. l. supra dicto & l. 3. in Lucam. c. 3. ubi ait: Salomo erravit, ne ipsi erraremus. Multa enim sub personâ Salomonis, præsertim in psalmis de Christo scribuntur, quæ periculum erat ne acciperemus tanquam de Salomone ipso dicta nisi vi dissemus, eum tam turpiter lapsum. Unde  
coacti



coacti sumus illa eximia elogio ab eo in Messiam transferre.  
Nam cum admoneamur scripturis, Christum minime peccatum  
novisse, Salomonemque cernamus tam enormiter peccasse,  
illum non fuisse Messiam, facile possumus intelligere!

LVII. Instant: & Bileamum impium, Num. 24. &  
Caipham injustum Job. 11. de Christo vaticinatos esse! Et  
certè, quod Bileam attinet, Hebraei inter נביאי האומות  
i. prophetas gentium (quorum septem numerant in  
בבאחרת) Jobam constituunt & Bileamum s. Balaamum,  
quem cum Mose ferè conferunt. Vid. Hotting. in Th. Phil.  
p. 582. Doctissim. Paulus Fagius, comm. in Chaldaei. Paraphr.  
Num. 24. Vorstius in not. ad Maimo. p. 98. ipse Rambam seu  
R. Moseh Ben Maimon. in מורה נבוכים P. II. c. 43. li-  
cèt postea denegarit לקוסם in divinatorem. Ità Augu-  
stinus Steuchus Engubinus, in h. l. Prophetam Dei, & Corn-  
à Lap. in h. l. Prophetam Diaboli fuisse censent, &c. un-  
de Balamica artes i. e. Magicæ. Vid. Aloysius Novarinus in  
Mose expensò. Verùm respond. concedendo, verum Pro-  
phetam illum fuisse, cum sacras illas prophetias, Numer.  
24. protulerit; sed quid hoc ad rem? aliud sanè est, unam  
alteramvè ab hoc & illo prolatam esse prophetiam, quàm  
alius Auctor *Ἰστορίας* postea descripserit: aliud, integros,  
ut à Salomone, conscriptos esse libros; id quod nec ab  
illis, nec ab aliis ejusdem farinae, factum est. Unde viri-  
bus argumenti nostri, vires accedunt, quòd scilicet sinè  
exemplo sit; Autorem *Ἰστορίας* damnatum esse. Sed  
quid si & Bileam, aliquid posteritati reliquerit, divinatio-  
num videlicet librum? Hujus certè mentionem faciunt,  
Origines, Homil. 13. in Num. & Autor Operis Imperfecti in  
Matthæ. c. 2. Vid. Possevinus in Appar. S. vocè, Balaam.  
Sed respond. librum istum sinè dubio fuisse Apocryphum,  
quip-



quippe quem Ecclesia Judaica nunquam in canonem receperit. Unde etiamnum thesis nostra firma. Optime *Drexelius l. c. Amanuensem & scribam Spiritus Sancti, non immeritò locamus caelo.*

LVIII. *Sextò*; Salomoni subsidium fert, *quòd fuerit illustris figura Christi*; uti omnes confiteri necesse habent. Id ut paucis ostendamus, incipiendum erit à nomine. Sicut enim nomen *David*, frequenter in S. Script. usurpatur pro ipso filio Dei; Vid. *Ezech. 34. v. 23. 24. & Galati. l. 3. c. 23.*: ità sanè & nomen *Salomo*, pro eodem sæpè occurrit; id quod plerique Patrum contendunt, *Psal. LXXII.* qui inscribitur: *Salomoni.* Vid. *Gal. l. c. c. 24.* Deinde, ut illi nomen contigit à pace; quòd non solùm tempore pacifico natus sit, sed & in pace regnum possederit, *1. Chron. 22. v. 9.*: ita Christus non solùm pace per totum terrarum Orbem constitutâ, natus est, sed & veram & æternam pacem attulit; allatam denunciavit, denunciata omnibus ultrò obtulit. Unde *Ephes. 2. v. 14.* dicitur: *ipse est pax nostra* q. d. ipse noster N. T. *Salomoh.* Vid. *August. in Ps. 72. & 126.* Ut etiam *Jedidiab* vocatus est, quòd Dominus ipsum diligeret. *2. Sam. 12. v. 25.* quod & proprium ei fuisse putat, *Jobyn. de Pine. l. 1. c. 16. f. 13.* ita Christus à Deo Patre *Matth. 3. v. 17.* vocatur *dilectus*, quasi *Jedidiab.* (2.) *sapientiâ suâ admirabili* Christus fuit typus. Ut enim *ipsi datum est cor intelligens & sapiens, ut similis ei non fuerit antè, nec post eum surrecturus sit similis ei 1. Reg. c. 3. v. 12.*: ita in Christo *omnes thesauri sapientia & cognitionis absconditi*; *Coloss. 2. v. 3.* Unde ipse *Matth. 12. v. 42.* postquam dixerat, *Reginam Austri venisse à terminis terra, ut sapientiam,* sive de sapientiâ (uti benè *Arabs* præ *Hebr. Græc. Syriac. Ægypt.* Interpp. legit; vid. *πλουλωτότατ*)

Kirste.



*Kirstenius in Mattha.) i. e. partem Sapiientia Salomonis au-  
 diret; exclamat: ecce hic plus quam Salomoh! Ut Nyssenus  
 non malè indè colligat, Salomonis sapientiam, quòd Chri-  
 stum veram sapientiam representarit, humana sapientia ter-  
 minos excessisse. Vid. J. de Pin. l. 3. per tot. (3.) Salomonis  
 potentia & dominatus amplissimus, ad Christum respexit.  
 Ut enim Salomo dominatus est omnibus regnis à flumine us-  
 que ad terram Pelisthim, & terminum Ægypti, &c. 1. Reg.  
 c. 4. v. 21. & seqq. ita Christus dominatur à mari ad mare  
 & à flumine usque ad terminos terra, &c. Psal. 72. v. 8. &  
 seqq. Vid. August. de C. D. l. 17. c. 20. (4.) Salomon tem-  
 pli exstructione, Christi gessit effigiem. Sicut enim tem-  
 plum exstruxit magnificentissimum, 1. Reg. c. 6. quod de-  
 inde gloriâ Domini impletum est, c. 8. v. 11. ita præter tem-  
 plum spirituale, Ecclesiam; Christus sibi ipsi divinum ex-  
 struxit templum, corpus suum Joh. 2. 19. Confer. c. 9. &  
 10. Ep. ad Hebr., in quo habitat omnis plenitudo Deitatis  
 ὡσαύτως, Coloss. 2. 9. (5.) Denique cultus & splendor, tum  
 ipsius Salomonis, tum Salomonica domus 1. Reg. c. 7. & 10. e-  
 gregiè Christum representarunt; id quod vel solus Psal.  
 45. loquitur. Vid. Johan. de Pine. l. 6. c. 16.*

LIX. Cum igitur adeò illustris, adeò splendida Chri-  
 sti figura fuerit Salomo, ut etiam ipsum Christum fuisse  
 Judæi crediderint; profecto absolum & præter Ecclesiæ,  
 imò Christi decorem foret, damnatum eum tandem fu-  
 isse, malo scil. exitu, acta superioris vitæ improbante. Ad  
 hæc *Adversarii*; non videtur ἀπρον, quòd impius & in i-  
 psis peccatis aliquâ ratione, Christi figuram referat, divi-  
 nâ videlicet providentiâ etiam peccatis hominum ad  
 mysterium aliquod significandum, utente. Ita *Davidis*  
 adulterium, assumptionem gentilitatis ad Christi & Eccle-

G

sia





siæ consortium, notat; uti contrà, pius *Urias* Diaboli (ut placet *Isidoro*) typus fuit, cuius conjugio prius copulata erat *Ecclesia*, quam *Christus* concupivit, lavantem se à sordibus seculi, & per lavacri undam se purificantem. Hanc aliter & *Salomon* utut impius, *Christi* potuit gerere figuram. Quid? quod prorsus non occurrat (ut vult *Isidorus*) quid saltem in allegoriâ boni significet flenda *Salomonis* submersio; nisi fortè quis dicat mulieres alienigenas significare *Ecclesias electas* de gentibus. Posset hoc fortasse non absurdè intelligi, si illa propter *Salom.* desererent *Deos* suos; cum verò ipse propter eas offendit *Deum* suum, non est quid inde boni conjecturari possit. Verùm enim verò, Respondemus, aliud esse, quòd pius, si vel maximè hoc concedatur, in aliquo suo lapsu divinum aliquid ex *Dei* providentiâ repræsentare potuerit; aliud autem quòd impius & damnatus illustrem *Christi* figuram gestarit, & quidem non in unâ aut alterâ: sed pluribus & frequentissimis vitæ actionibus; quod absit. Unde & *Hieron.* in *Ezech. c. 22.* cum quidam *Sedechiam* impium, *Christi* typum facerent, id improbat inquit: neque enim *Rex* impius in figuram potest præcedere illius, qui totius pietatis exemplum est. Deinde, quòd peccata *Salomonis* nihil mysterii inferant: quid obstat? neque hoc necesse est. Quid? quod si urgeas, etiam hæc in parte *Christi* figura esse non desierit? Nam sicuti ipse, adamavit mulieres extraneas, multas, *v. R. 11.* ita *Christum* illos qui quondam erant absq; *Christo*, ab alienati à republica *Israelis* & extranei à pactis promissionis &c. *Ephes. 2. 12.* gentium scil. multitudinem adamasse, quid impedit, quò minus cum aliis piè dicamus? quod propter *Salomonem* non deseruerint *Deos* suos, quid refert? neque enim typus cum antitypo per omnia quadrat. Quid si quædam  
cum



cum Salomone conversæ sint? 'cùm itidem' non omnes gentes propter Christum deseruerint Deos suos. Certè cùm profelytæ fuerint, ut multis ostendit ex Rabb. scriptis, *Præclariss. Dn. Stevogtius, dignissimus B. nostri Stablii Successor, Præceptor & Fautor meus observandus in disp. de Profelytis Judeor.* procul dubio nonnullæ cum Salomone in rectam redierunt semitam. Manet igitur hominis æternis suppliciis addicti *nomen, qualitates, actiones &c.* omnis sanctitatis & salutis Auctori haut tribui posse. Pari etiam ratione nonnulli urgent, quòd Salomo sit in *Genealogia Christi* de quâ tamen re adhuc certant. Vid. *D. Helvici de gen. Christi Dissert. D. Waltherus in Harm. Mattha. 1. & Luc. 3. it. Galati. 7. cap. 12. Johan. de Pin. l. 7. c. ult. Alii.*

LX. *Septimò;* denique nostra sententia probatur *ex libro Ecclesiastæ, qui totus esse videtur Salomonis sese excusantis atque pœnitentiam agentis;* Ut plerique, Salomonis qui tuentur partes, statuunt; inprimis Hebræi. Unde in cit. *לערא זקנת שלמה סמור* p. 13. dicitur: *למיתתו שרתה עליו רוח חקורש ואמר שלמה ספרים זהלל משלי שיר השירים קהלת*  
*Tempore Senectutis:* *Salomonis, cùm jam vicinus esset morti, habitavit super ipsum Spiritus Sanctus, dixitq; Salomo seqq. libb. Proverbia, Cantic. Canticor. Ecclesiasten.* Et ne solâ illorum auctoritate videamur niti; demonstrabimus id ex libri argumento, atque ipsius *Salomonis* post diuturnam omnium voluptatum experientiam, confessione. Quod enim ab homine ad vanissimas & fallacissimas voluptates nauseabundo scriptus sit, totus loquitur. Hinc statim ab initio illa verè pœnitentis & coelis digna vox: *vanitas Vanitatum (dixit Ecclesiastes) vanitas vanitatum, omnia vanitas!*



An hæc temerè ingeminet Salomo? an frustra insonet?  
minimè; sed ut omnium rerum: ita maximè damnosa-  
rum voluptatum nausea hanc vocem illi expressit. De-  
inde v. 12. ait: *Ego Ecclesiastes FUI Rex super Israel in Jeru-  
salem*, ut de maxima temporis sui parte exacta loqui vi-  
deatur. Benè Pl. Rev. Dn. D. Walterus in Harmon. h. l.  
*Quod Salomo dixit, FUI Rex; pleriq; interpretantur, quod  
vox sit ex animi affectu, de se indignè sentientis, & jam a-  
gnoscentis, se qui antehac dignus successor in solio Parentis sit  
habitus, nunc propter peccata, & Regis titulo & regno tanto  
factum esse indignum; cumq; quondam in pretio haberet,  
tanquam aliquid esset, nunc nihil se esse fateatur, q. d., Fui,  
jam non sum, quia etsi sum id ipsum jam nihil esse agnosco,  
quod sum. Addit; verissimum enim est, librum hunc esse  
pœnitentiam agentis & mundi omniumq; rerum mundana-  
rum contemtum ebuccinantis. Non absimilis est vox hæc,  
illi: *Fuimus Troes!* quam & illustriss. Josephus Justus Sca-  
liger symboli loco habuit. Vid. CL. Taubman. ad Virgil.  
p. 456. Huc pertinet, quod iterum Salomo c. 7. v. 16. cla-  
mat: *omnia vidi in diebus vanitatis meae!* quod proprium  
est, gravissimorum senum, superioris vitæ errata & va-  
nitates, censorio incorruptoque judicio damnantium.  
Pariter olim Severus Imperator ingemebat: *omnia fui, o-  
mnia expertus sum, sed nihil expedit!* Porro c. 1. v. 13. im-  
modicam sciendi cupiditatem recenset, & detestatur Sa-  
lomo: *Dedi cor meum (ait) ad disquirendum cum sapien-  
tiâ, omne, quod fit sub cælo (hanc occupationem malam dedit  
Deus filiis hominum ut occupent se in eâ) vidi omnia opera  
qua fiunt sub ipso Sole & ecce universa vanitas & afflictio  
spiritûs v. 14. Confer. v. 16. 17. 18.**

LXI. Cap. II. voluptatum quibus sese dederat, finem,  
itidem:



itidem vanitatem esse clamat: *Magnificavi opera mea, edifi-*  
*ficavi mihi domos, &c. v. 4. 5. 6. 7. coaceruavi mihi aurum &c.*  
*comparavi delicias filiorum hominum שרה שרות symphoniã*  
*& symphonias i. omnis generis symphonias (ut R. Kimchi*  
*in ספר שורשים; sed melius alii) electas mulieres ex prada.*  
*v. 8. 9. & omnia quæ expetiverunt oculi mei, non prohibui*  
*eis &c. & hoc fuit pars mea, de omni labore meo v. 10. Et re-*  
*spexi ego ad omnia opera mea &c. & ecce uniuersa vanitas*  
*vers. 11. & respexi ego, ut viderem sapientiam & insanias*  
*& stultitiam &c. vers. 12. & vidi ego quod utilior est sapien-*  
*tia, quàm stultitia, sicut utilior lux est, quàm tenebra v. 13.*  
*14. itaque odi vitam ipsam &c. v. 17. odi quoque omnem la-*  
*borem meum &c. v. 18. Elegantissimè hæc omnia illu-*  
*strat Hieron. dum in h. l. Salomonem sistit ita concionan-*  
*tem: Accidit ut ex nimis opibus ad maiores delicias provo-*  
*carer; sed quantò ista crescebant, tantò sapientia deerat.*  
*Nam in quamcunque voluptatem me cupido traxisset infre-*  
*nis ferebar & præceps, putabamq; hunc esse fructum labo-*  
*rum meorum, si ipse in libidine luxuriãque consumerer. Tan-*  
*dem in me reuersus & qs. de gravi somno e vigilans, adspexi*  
*ad manus meas & opera mea, plena vanitatis, plena sordi-*  
*bus, plena spiritu erroris intuitus sum; consequenter in lau-*  
*dem illius hominis erupi, qui post vitia se refrenans virtu-*  
*tum possit esse sectator. Confer Gregor. Neocæs. l. c.*

LXII. *Seqq. Cap. alia Judicum & Principum pecca-*  
*ta, quibus & ipse se contaminãrit reprehendit; in primis*  
*illud c. 4. v. 13. melior est puer pauper & sapiens, Rege sene*  
*& stulto, qui nescit admonitionem recipere amplius; de se*  
*enunciare videtur. Sic. c. 5. falsam falsorum Deorum*  
*religionem quæ neque iudicium neque providentiam a-*  
*gnoscebat. notat. C. VII. lethalia vulnera quæ à mulieri-*



bus ipsâ morte amarioribus acceperit, deplorat: *circu-  
vi ego, inquit, ut quærerem sapientiam & rationem, & ut  
scirem impietatem stultitia & fatuitatem erroris v. 26. Et  
inveni ego rem amariorum morte, mulierem; quia est ut re-  
tia & laquei, cor ejus; uti vincula, manus ejus; bonus coram  
Deo evadet ab illâ: peccans autem capietur ab illâ v. 27. Vi-  
de hoc inveni (dicit Ecclesiastes) unum post alterum, ut inve-  
nirem rationem v. 28. quid adhuc quæsit anima mea, &  
non inveni? Hominem unum (rectum) ex mille inveni, mu-  
lierem autem (rectam) inter omnes istas non inveni v. 29.*  
Annon hîc aperte mulierositatem suam damnat? Non-  
ne pessimam mulierum infidelitatem accusat? se videl.  
inter omnes istas, septingentas reginas & trecentas con-  
cubinas quas miser adamaverit, ne unam quidem inve-  
nisse cui tutò se committere potuisset? Optimè hinc ite-  
rum Sanctus Hieronymus in h. l. *Non putemus Salomonem  
temerè hanc de omni genere mulierum protulisse senti-  
entiam; quod expertus est, loquitur. Ideò quippè offendit De-  
um qui captus est à mulieribus, & hoc secundum literam.*

LXIII. Denique postquam *subseqq. capp.* alia vitu-  
peravit, alia laudavit tandem *c. ult.* juventutem ad sobri-  
etatem hortatur eamque deterret à miserimæ senectutis  
incommodis, quæ ipse experiebatur, non tam ætate,  
quàm libidinum & voluptatum licentiâ ærumnosissi-  
mus; *Memento, inquit, creatoris tui in diebus juventutis  
tuae, priusquam dies veniant mali, & accedant anni de qui-  
bus dicas, non est mihi in eis beneplacitum v. 1. & seqq.* De-  
indè sublimem illam & cœlis dignam vocem, quâ con-  
cionem inceperat repetit: *Vanitas vanitatum (dixit Ec-  
clesiastes) omnia vanitas!* ut animum scilicet non mutas-  
se videatur, sed se in istâ confessione ad tumulum usque  
perse-



perseveraturum ! Atque sic concionem claudit postquam Dei timorem indixerat, & divini judicis terrorem incusserat; *Deum time*, inquit, *& mandata eius custodi*, quia hoc est omnis homo; quia omne opus Deus in iudicium adducet, super omni occulto sive bonum sit, sive malum ! Vid. *Johan. de Pineda* in *Ecclesi.* Commentar. Quid itaque in sancto hoc volumine est, quod cum peccatorum poenitentia atq; summa eorundem detestatione scriptum non sit ? Quid ultra desideramus, cum tantum poenitentiae Salomonis testimonium habeamus ? Ad hoc quidem Adversarii : si poenitentiae Salomonis tam clarum, tam certum existit testimonium & quidem integrum volumen, cur id aliis non innotuit Patribus ? cur non idem agnoverunt alii ? Certè, etiam si hæc omnia legerent, tamen longè aliter acceperunt. Verum *respond.* posse quidem *Ecclesiasten* aliter atque aliter explicari & applicari, sed an debeat : hoc adhuc in quaestione esse. Unde aliorum sententias suo loco relinquimus, & nostram textui convenientissimam esse profitemur, id quod ut ex parte vidimus : ita cuilibet rem ipsam non populari trutinam (quod dicitur) sed aurificis stateram examinanti, patebit. Nec obstat quod alii id haut cognoverint ; cum multa sit clara & perspicua sint hisce quæ illis contra obscura videantur. Quid si non solum *Ecclesiastæ* sed & proverbiorum volumen percurreremus, quod itidem (ut diximus) non modò Hebræi sed & *Hieron. Cyrillus Bachiar.* &c. post lapsum conditum esse statuunt ? Quid si & *Canticum Canticorum* ? quod etiam cum Hebræis plurimi Salomoni converso tribuunt ; in quo scilicet suarum voluptatum vestigia appareant sed ad diviniorem rationem translata ? Unde melius hinc Talmudistæ in ספר שבוועות c. 4. כל שלמה דאמר



האמור בשיר השירים קדוש: *Omnis Salomo cujus in Cant. Canticor. mentio fit, sanctus est. Vid. c. l. Dn. Hacsp. c. 4. num. 20.*

LXIV. Atque sic argumenta quoque quibus Salomonis Patroni innituntur, vidimus, quæ ab Adversariis hucusque non potuerunt infringi. Sed quæ tandem, *inquis*, pœnitentiæ Salomonis ratio? manifestis sanè sceleribus, manifesta adhibenda fuit pœnitentia; Deus & homines læsi, placandi fuerunt. Ergò *Hebræi* (cùm nihil hac de re in *Verbo Dei scripto* habeatur) ex *Verbo non scripto* i. e. traditione Patrum referunt: *Salomonem quinquies per plateas Hierusalem tractum, quinque cum virgis in templum venisse & iisdem ut à Legisperitis cederetur, postulasse; sed illis renuentibus in Christum Domini, manum mittere; tandem à se ipso acriter flagellatum esse, & regno sese abdicasse. Vid. Beda, fragmentis in Proverbia. Hoc quidem commentum esse Hebræorum, existimat Joh. de Pize. l. c. sed pelucidum sanè & minùs quàm alia Rabbinnica perniciosum, ut quod pœnitentiam suadeat & macerationem ac compressionem lascivientis corporis. Scilicet, videmus cur Jesuita commentum illud non planè rejectum velit, quia pro se faciat. Hinc è vestigio addit exclamans: *Illud mihi, mihi verissimum, si Salomo pœnituit, fructus pœnitentiæ dignos egisse, atque digna etiam adhibuisse corpori supplicia & illa solemnia pœnitentiæ documenta, cinerem, saccum, demissionem, salutare jejunium; & potum lacrimarum. Scilicet hi sunt fructus pœnitentiæ digni! Ita dii placandi sunt! si diis placet. Videmus quàm egregiè, ut alibi: ita & hîc cum Judæis conspirent Papicole. Consule modò Excellentiss. Buxtorf. in Synag. Hoc verò certum est, Salomonem omninò verâ animi tristitiâ affectum esse, & seriâ cordis**







LXVI. Ad *secundum* respond. gravissimè Salomonem peccasse, neminem ire inficias, neque hoc in questione esse; sed in hoc rei cardinem verti, an scilicet nunquam illorum scelerum Salomonem poenituerit? quod negatur. Aliàs enim, si id certò posset ostendi neque amplius addubitarem, neque ullam de ejus salute spem conciperemus. At *regeritur*; si verè eum poenitisset, fructus utiq; poenientià dignos ostendisset. Jam verò excelsa & aras quæ diis struxerat, non destruxit, sed per trecentos & quinquaginta annos, misero populo fuerunt malorum illecebra, flagitiorum incitamenta, scandala pessima, ut (proh dolor!) non temerè refert *historia sacra*, R. 4. c. 23. v. 13. *quæ tandem piensissimus Josias contaminavit, contaminata diruit, diruta combusit. Ut igitur aliis regibus grandi vertitur vitio, quod excelsa ab aliis exstructa non destruxerint, quanto magis huic, qui sua ipsius debuisset destruere neque tanta Israeli præbere scandala!* Sed *respondemus*; quæ scis an potuerit licèt voluerit? procul dubio enim populus, ubi vidit fore, ut religio ista à Salomone mutaretur; tumultuatus est (ut solet eâ rerum facie.) Hic vidisses paucos quidem fideles plaudentes: plurimos verò idololatrias plangentes: Hic audiisses modò murmurantes, modò frementes: quid si vagitus & iras mille foeminarum alienigenarum addas? Rex saniori menti restitutus delubra ex debito zelo conatur evertere; sed quasi delirum senem impediunt. Illi ipsi rerum gerendarum ministri, quibus falsam religionem demandaverat eliminandam vel conivent vel obsistunt! Hisce accessit ætatis languor, auctoritas Regia per peccata, amissa &c. quæ potuit delubra evertere? Quid si non amplius in iis sacrificavit? Ex animo enim penitus eradicatam fuisse idololatriam vel

unus.





unus *Ecclesiastes* clamat, cuius initium (ut alia taceamus) & finis idola ad orbem damnant. Inter כְּלִי־וָאֵן enim, sive *vanitates* potissimè idola numeranda sunt, quippe quæ non uno in loco sic appellentur, ut: *Deuter. 32. v. 21. 4. Reg. 17. v. 15. Jerem. 2. v. 5.* Ergò cum nomen ipsum ipsaque res optimè conveniant, idololatria item gravissimum Salomonis fuerit vulnus; quis non videt, dolentis illas & pœnitentis animi voces: *vanitas vanitatum &c.* & has vanitates complecti; q. d. en quò me vanissimorum numinum mendacium abduxit! in quas vanitates me coniecit! Pariter quando *timorem Domini* indixit, veram religionem haud dubiè voluit restaurandam; sicuti itidem non semel *timor Dei* appellatur, ut *Deuter. 15. 4. 4. Reg. 17. v. 25. Psalm. 5. 8. &c.* Præterea probabile etiam est; Salomonem quidem excelsa demolitum esse, sed impios Reges, (ut erant pervicaces!) eadem instaurasse, quæ tamen nomen retinuerint Salomonis, utpote qui ea *primus* exstruxerit; undè pœnas quoque dedit gravissimas *1. Reg. 11.* Quid si planè urgeas, quod neque Pii Reges *Amasia 4. R. 14. v. 4.* neque *Asaria, ib. c. 15. v. 4.* neque *Jothan. eod. c. v. 35.* neque *Manasseh respiscens 4. R. 23. vers. 12. &c.* excelsa destruxerint? Si itaque eorum saluti nihil inde derogatum est; modò ipsi placidè obdormierint: Ergò neque Salomonis saluti; modò & ipse placidè obdormiverit. *Hic est Adversariorum Achilles* (exclamat de hoc argumento *Barradius*) *qui si non occisus, certè exarmatus est!* imò occisum putamus.

LXVII. Ad *Tertium* respondemus: tantùm abesse, ut id contra nos sit, ut potius pro nobis sit; uti in *argum.* nostro quarto vidimus. Jugulamur igitur Adversarios suo ipsorummet gladio. Quod comminationem illam *Davidis* attinet dicimus & ipsi eandem Salomonem tandem tetigisse, nisi pœnitentiam egisset.

LXIX. Ad *Quartum* denique resp. & quidem ad *membrum* (I.) licèt vox כְּלִי־וָאֵן utrumque denotet: tamen integram illam phrasin nusquam ità accipi. Imò quòd ne vox quidem illa sic reddi debeat, apparet ex *seqq.* *sicut cor David Patris sui;* ubi comparationem fieri Salomonis cum Patre, quis non vi-



det? concedimus igitur quòd *cor Salom.* nō fuerit æquè perfectū  
*cum Deo* atque Parentis Davidis; cum illius cordis perfectio de-  
 fecerit, sed non planè defecerit. Ità neq; altera phrasis scopum  
 ferit. Usurpetur de impiis; at ubi de perseverantibus impiis?  
 tum & hīc S. Scriptura comparatè loquitur: *non adimplevit Salo-*  
*mo, ut sequeretur Jehovam; sicut David Pater ejus;* quod itidem  
 concedimus. At quid hoc ad perseverantiam finalem? Salomo  
*non adimplevit &c. ut Pater;* Ergò planè non *adimplevit &c.* Quis  
 in valentiam (ut Agellius loquitur) argumenti non videt? Ad  
 membrum (2.) respond. licèt concedamus Salomonem Sapi-  
 entiam amisisse. (Rectè enim in פֶּרְקֵי אֲבוֹת׃ c. 3 : אֵין אֵין  
 יִרְאוּ אֵין חֲכָמָה אֵין חֲכָמָה אֵין יִרְאוּ *ubi non*  
*est timor (Dei.) ibi non est sapientia: ubi non est sapientia, ibi non est*  
*timor (Dei.)* tamen inde non sequitur, eum divinam gratiam  
 planè amisisse. Sufficit si tantum sapientiæ ipsi relictum fue-  
 rit, vel recuperarit, ut peccata sua agnoscere eademque de-  
 precari potuerit! Nonne sic gratiam divinam habere potuit  
 proclivem, facilem, obsequiosam? Ad memb. (3.) tandem re-  
 spond. Alios esse & (eheu!) non paucos præter Salomonem  
 viros (utinam nulli essent!) itidem haut infimos, in quibus  
 ejusdem utilitatis, quam in Sålomone quæreremus, compo-  
 tes fieri possumus. Igitur & hoc ad Salomonis damnationem  
 nihil facit, sed primò (ut ajunt) obteritur pedatu.

LXIX. Habemus itaq; quæ hac de re promissa sunt;  
 quilibet jam suo abundet sensu: nos judicio charitatis sta-  
mus. Hoc adhuc pro nostrâ sententiâ, quod ante debuisset di-  
 ci, dicimus, qui tot ad pœnitentiam habuerit impulsus: Acer-  
 rimum conscientiæ stimulum, quassatum Reip. statum, Ad-  
 versarios, diversam commutationem, Sapientiæ in stultitiam,  
 gloriæ in ignominiam, Prophetam item adhortantem, & im-  
 minens Dei judicium; qui hæc habuerit, annon tandem iis  
 commotus fuerit? Quilibet modò secum cogitet! Nos nihil  
 præterea addimus, quàm ut omnes hunc Regem tanquam spe-  
 culum nostræ infirmitatis intueamur. Quis unquam cogi-  
 taret, talem & tantum Regem ità lapsurum! Quis hunc Re-  
 gem omnium mortalium beatissimum, dum floreret, non ju-  
 dica-



dicasset? Quam verum illud Dionysii, quod mirandum in ty-  
ranno:

Stobæus *Ἰννητῶν ἢ μηδεὶς μηδένα ὀλεῖον ποτὶ*

Serm. *κρίνη πρὶν αὐτὸν εὖ τελευτήσαν] ἴδῃ*

CIII. *Ἐν ἀσφαλεῖ γὰρ τὸν θανάτῳ ἐπαινεῖσαι.*

Videamus igitur, videamus qui stamus ne cadamus! Cecidi-  
mus, surgamus! *Si David Amicus Domini & Salomo Amabilis ejus*  
*visi sunt, quasi homines; ut & ruina nobis ad cautionem & pœni-*  
*tudinis ad salutem exempla præberent, quis in lubricâ via lapsum non*  
*metuat?* Ut Sanctus monet *Hieronymus, epist. ad Salvinam.* Cæ-  
terum semper ita de alterius salute cogitemus, loquamur,  
disputemus, ne nostrâ ipsorummet excidamus!

GLORIA TIBI DOMINE JESU!

COROLLARIUM.

Notabilia sunt verba Apologiæ A. C. ad art. VII. pag. 148.  
Addimus notas ad Ecclesiam, *puram doctrinam Evangelii*  
*& Sacramenta.* Et hæc Ecclesia propriè est columna veritatis.  
Retinet enim *purum* Evangelium, & ut Paulus inquit, *funda-*  
*mentum*, hoc est veram CHRISTI cognitionem & fidem, etsi  
sunt in his etiam multi imbecilles, qui supra fundamentum  
ædificant *stipulas* perituras, hoc est, quasdam inutiles opinio-  
nes, quæ tamen, quia *non evertunt fundamentum*, tùm condo-  
nantur illis, tùm etiam emendantur. Ac sanctorum Patrum  
scripta testantur, quod interdum stipulas etiam ædificave-  
rint supra fundamentum, sed quæ *non everterunt fidem* eorum.  
Verùm *plenaque istorum, quæ adversarii nostri defendunt, fidem*  
*evertunt*, ut, quòd damnant articulum de remissione peccato-  
rum, in quo dicimus fide accipi remissionem peccatorum.  
Manifestus item & perniciosus error est, quòd docent adver-  
sarii, mereri homines remissionem peccatorum, dilectione  
erga DEUM, ante gratiam. Nam hoc quoque est *tollere funda-*  
*mentum* CHRISTUM. Ita Apologia! Ex quibus patent QUATU-  
OR. PRIMO; *Errores alios esse fundamentales*, qui fundamen-  
tum evertant & tollant: alios autem esse, *Non fundamentales*,  
qui fundamentum non evertant, sed cum eo possint consiste-

H 3

re. II.



re. II. Ecclesiam in puritate verbi habere suos gradus, ut loquitur B. noster Gerhardus Tom. V. Loc. de Eccles. §. 131. Quandoque enim minus, quandoque plus, quandoque etiam plane nihil stipularum habet. III. Pontificios errare in fundamento, & pleraque istorum, quæ ipsi defendunt, fidem evertere, & fundamentum tollere, ut Apologia loquitur. IV. Quando ergo Ecclesia Romana dicitur, Ecclesia IMPURA, FALSA, ERRONEA, HÆRETICA, CORRUPTA, hoc intelligendum est, non de stipulis tantum, & erroribus, fidem non evertentibus, aut fundamentum non tollentibus; quasi ita solum sit Impura, erronea, corrupta; ut tamen ejus errores cum fundamento fidei bene possint consistere: Sed de *Erroribus Fundamentalibus*; qui fidem evertunt, fundamentum tollunt, neque cum eo possunt consistere. Unde etiam, qui in illâ Ecclesiâ reperiuntur, verè credentes, illorum erroribus non astipulantur; sed idem credunt quòd nos credimus, adeoque à veræ Ecclesiæ doctrinâ, CREDENTES appellantur!

---

*Ad Eximium & Humanissimum*

DN. M. RESPONDENTEM,

*Erudite hujus, & laudatissimâ industriis exasciata Disputationis  
AUCTOREM, Amicum, Commensalem, & Inquilinum  
suum dilectum!*

**N**ON dubia est summi REGIS sapientia summa;  
Et tamen in senio deviat atque cadit.  
Qui steterit, caveat! ne postea, *causa salutis*  
Judicio parili discutienda fiet.  
Judicio dubio SALOMONIS *causa* diremta  
Ut fuerit? satis hæc pagina docta docet.  
Speratur salvus, conversus creditur; ast Tu  
Qui legis hæc, cupiens vivere, disce mori.  
Felices operas verò, Tibigrator, AMICE;  
Ausibus æternum NUMEN adesse velit!

*Amoris, & benevolentie testanda causâ  
faciebat,*

PRÆSES.



153 0414

ULB Halle 3  
003 484 998




5b

AB 153044

VD 17







*[Faint handwritten text on a small paper label on the spine]*

AB  
2001





28. Q. D. B. V.  
שלום שלמה  
Sive

DISPUTATIO THEOLOGICA  
De

# SALUTE REGIS SALOMONIS,

Quam  
In Illustri Universitate Jenensi,  
*Illustrissimis atq; Celsissimis Principibus ac Dominis,*  
DN. FRIDERICO SENIORE, &  
DN. BERNHARDO SENIORE,  
Ducibus Saxon. Jul. Cliv, & Montium &c. Fratri-  
bus Germanis; illo Rectore; hoc ExRectore  
Magnificentissimis,  
SUB PRÆSIDIO  
*VIRI Plurimum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi*  
DN. CHRISTIANI CHEMNITII,  
SS. Theol. Doctoris & Professoris Publici celeberrimi, Ec-  
clesiæ item Jenens. Pastoris & Vicinarum Superintendentis vi-  
gilantissimi; Præceptoris, Fautoris & Hospitis sui, ætatem  
devenerandi,

*publicè ventilandam proposuit*  
pridiè Calend. Martii

Anno M. DC. LV.

H. L. Q. C.

AUCTOR

M. JOHANNES PEARSON / DITHMARSUS.  
Recusa Anno M. DC. LVII.

---

JENÆ  
Typis JOHANNIS NISII.

